


Paupitio.

Gl 282.

4.



A V S P I C I I S
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
 SERENISS. PRINCIPIS REGII
FRIDERICI AVGVSTI
 DE
LVDIS ROMA-
NORVM SECV-
LARIBVS

PRO LOCO

AB AMPLISS. PHILOSOPHORVM ORDINE
 INVISITATA SIBI BENEVOLENTIA
 ASSIGNATO
 PRID. KAL. DECEMBR.
 A. R. G.

∞ IO CC XVII

LOCO CONSVETO DISPVTABIT

CHRISTOPH·FRID·AYRMANNVS

L·A·MAG
 RESPONDENTE
 M· SAMVELE IONATHAN PAVPITIO
 DAMA-SAX. SS· THEOL· CVLT

VVITTEBERGAE SAXONVM
 EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYPOGR.



RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
S E R E M I S S I O P R I N C I P I A R E C U
F R I D E R I C I A V G U S T I
L A B I T U S R O M A
N O R A M S E C A
L A R I B A S

P R O L O G O

B I B L I O T H E C A R M I N O R A M O R I N G I
C O M M U N I T A T I O N I T Y



C H R I S T O P H E R U S A Y R A M A N N I S

A U F D E R M A N N E R H A R D I C H T U N G
V O N D E R M A N N E R H A R D I C H T U N G

DE

LVDIS ROMANORVM SECVLARIBVS

I

On necesse habeo, cum iam aliquid scribendum sit, causam dicere repetiti a praesente seculari anno argumenti. Praeiuit mihi in simili re Petrus Taffinus, eruditus Patrum Iesu Socius, cau-
sesque, cur suum de Romanorum anno ludisque se-
cularibus librum primo societatis suaeculari anno
emitteret, exposuit. Qui etsi diligentia sua, qua in
hoc argumento uersatus est, me facile a scribendo
detergere poterat, tamen quoniam id iam ante quam
iste mihi innotuisset occuperam, institutum mu-
tare nolui. praesertim cum idem quod illi etiam
mihi licere putauerim, perlectoque libro, meas de
eadem re cogitationes et coniecturas paulo diuersas
fuisse deprehenderim, ut, si coepto insisterem,
haud metuendum mihi fuerit, ne nihil noui attu-
lisse uiderer. Accedit, quod neque iste se ab Onu-
phrio Panuinio, qui ante eum de ludis Romanorum
secularibus scripserat, ab inita semel via auocari pas-
sus sit. Horum ego excellentium virorum existi-
matio-

A

mationi nihil hac mea qualicunque opera detractum uolai, quin potius commendasse uideri potero, quod scripti mei non aliam ac spicilegii eorum messi adhibiti rationem haberi cupierim. Expositus de ludis secularibus aliqua etiam Angelus Politianus, Miscell. c. LVIII. quem exscripsit Io. Rosinus, Antiq. l. V. c. XXI. Alexander etiam ab Alexandro quaedam de illis, sed parum accurate, tradit l. VI. c. XIX dierum genialium. hos ludos quoque, sed confuse, describunt Io. Lud. Viues, et Leonh. Coqueus in Comm. ad August. de Ciu. Dei, l. III, c. XVIII. non aliter de iisdem scripsit Wolfgang. Lazius Com. reip. Rom. c. VI. Notat quaedam huc pertinentia G. G. Leibnitius in diss. de numis Gratiani, in quibus scriptum, Gloria noui seculi. Pitiscus in Lexico Antiq. Rom. parum noui attulit. Scripsit de ludis secularibus dissertationem Io. Adolph. Turretinus, quam tamen una cum aliis ad hoc institutum pertinentibus uidere iam non licuit. Illustrauit quoque nuper admodum hoc argumentum Vir Excellentissimus Dom. Martinus Hassen, Fautor ac Patronus noster aestumatissimus.

Quoniam autem omnis disputatio in re ex antiquitate reperita uersabitur, dabo operam, ut veterum scriptorum testimonii, monumentisque aliis, asserta mea confirmem, atque in his, quae plurimum fidei habere ueroque simillima uisa fuerint, secutus, quae uero minus, deseruisse, recentioribus autem scriptoribus ita demum credidisse nidear, si cum ista, quam dixi, uetus statis regula comparati quam proxime ab ea absuisse reperti fuerint.

Ante-

Antequam autem rem ipsam aggrediar, quoniam Romanorum ludi seculares a seculo nomen acceperunt, quid de hoc statuam breuibus edisserendum puto. Distinguere seculum soleo in astronomicum et ciuile. quorum illud proprius Cyclus et Periodus vocatur, et tantum properius ciuilis quandam similitudinem seculum dicitur. Inuentum hoc est Astronomorum, et, quatenus a Graecis ac Romanis usu receptum est, Periodus Graecorum et Romanorum vocari solet. Ios. Scaliger existimat Periodum Romanum constare CX annis, XXII lustris, et V Periodis minoribus, quarum singulae XXII annis constarent. Sed Dion. Petauius non immerito id commentum Scaligeri appellat, nullamque aliam Romanis praeter XXIV annorum Periodum notam fuisse ex Luio aliisque probat. Apud Athenieses Periodum annorum CXX te inuenisse putat Sam. Petitus, Eclog. Chron. l. IV. Cui similis est Sarus Chaldaeorum, seu CXX annorum Periodus, quam illi anni magni mensuram, Scaliger seculum Chaldaicum vocat, Canon. flag. l. III.

Civile seculum appello istud spaciū temporis, quod centum exacte annos complectitur, et, a certo initio ductum, ad distinguenda tempora a Chronologis et Historicis adhiberi solet. Ac uideatur haec consuetudo a Romanis, et Etruscis, unde illos accepisse putat Censorinus, ad alios demum peruenisse. cui rei indicio est, quod apud Graecos, et alios istorum temporibus antiquiores, rara seculum mentio, certe nullum extet vocabulum, quod proprio centum annorum spaciū significet. ad
A 2
quod

quod accedit, quod Romanis, qui origines urbis suae nossent, facilius fuerit secula inde fluentia computare, quam Graecis, atque aliis, apud quos initia fere sunt obscura. denique quod religione moniti sacra quaedam ludosque singulis centum, aut decem et centum, annis referre debebant Romani, necessitas quasi secula obseruandi ipsis imposita erat, id quod apud Graecos aliosque factum legere haud memini. Postea uero quam seculi ratio a Romanis usurpata est, ad alios statim, in primis Chronologos recentiores, transit, apud quos nihil usitatis seculis, quae illi uel a Mundo condito, uel a Christo nato, uel ab V. C. uel ab alio quodam insigni capite ducere solent. Romanorum autem seculum erat uel regulare, uel irregulare. quorum illud centum praecise annis continebatur, hoc plus minusue comprehendebat.

A seculo dicitur annus secularis, qui ex Romanorum instituto ultimus erat cuiusque seculi. Praeterea illis anni huiusmodi erant uel festi, uel non festi. Festos autem dico, quos sacris ludisque ab illis celebratos esse legimus. Apud Hebraeos talis erat annus quinquagesimus ἀπὸ τῆς οὐληρεχίας καὶ γεωργίας eorum in Cananaea. Apud Graecos anno nono reddebantur ΔαΦνηθόρια, anno quarto uel quinto Ολύμπια, Παναθήναια maiora, Δηλια, Ερώπια, Βεργερώνια tertio Αιτπα. Sacrorum enim ludorumque accurate Romanis secularibus ratione temporis congruentium nulla alibi uestigia adhuc reperire potui.

II Quod

Quod autem ad ludos Romanorum seculares attinet, illi non unius, ut plerisque uisum est, sed trium mihi generum uidentur esse. quorum unum et antiquissimum in honorem Ditis patris et Proserpinæ, inuenta horum numinum in campo Martio ad Terentum ara, ex consilio uatum, pro auertenda ab urbe populoque Romano pestilentia, eo in loco institutum, et successu temporis singulis centum annis redditum est. alterum genus post illud inuentum, atque ex monito et praescripto librorum Sibyllinorum, Apollini in primis et Dia nae, aliisque numinibus, pro iucunditate urbis Romae dedicatum, et in campo eodem, itemque circa, et aliis locis, singulis centum et decem annis editum est. quo cum primum genus in sequentibus, ut opinor, temporibus in unum coaluit. his denique accessit genus tertium ludorum secularium ab imperatore Claudio, nisi fallor, primum, seculo ab V. C. octavo exeunte, ultimoque eius anno, publicae laetitiae testificandæ causa institutorum, et deinceps centesimo quoque anno redditorum. de quibus quoniam nihil certi apud scriptores ueteres reperimus, pro imperatorum arbitrio uarii, neque unius generis, neque iisdem ac ceteri diis dicati, legibusque adstricti, fuisse uidentur. Dicti autem propterea sunt ludi seculares, quod singulis seculis, aut regularibus, aut irregularibus, a prima eorum origine, aut ab V. C. exactis reddi deberent.

A 3

Con-

Confusa quidem fere sunt, quod fateor, a scriptoribus tam veteribus quam recentioribus tria haec secularium ludorum genera, eam haud dubie ob causam, quod et nomen, et alia multa habent communia. Ego autem, probabili adductus conjectura, quam differentiam deprehendi, exponam. ratus fore ut, distinguendo haec tria genera, ex multis nos difficultatibus, quas uel Taffini diligentia auxit magis quam minuit, extricaturi, iplosque saepe sibi et aliis conciliaturi simus scriptores.

Ante omnia autem fontes praecipuos indicabo, quibus, una cum his, qui ante me de eodem argumendo scripserunt, meas hausi coniecturas, fortassis non tam a uero, quam ab illorum sententia, alienas. Antiquissimum monumentum uidetur Sibyllae carmen, quod seruauit Phlegon Trall. et Zosimus. ad quod cum et alii prouocent, ab iis confitum non ausim dicere. Quindecimuirum Commentarios allegat Censorinus de die nat. c. XVII. Originem illi debent Tarquinio Superbo, qui coëmtis libris Sibyllinis Duumuiris eos inspiciendi custodiendique curam imposuit, qui deinceps de iis consulti, sacrisque et ludis, quos Praetores, Consules, et posteris temporibus Imperatores, edere solebant, rite faciundis adhibiti, et primum ad X, denique ad XV, maioremque etiam, numerum aucti fuerunt. hi, quae sacra ludique, et quo ritu, peracta erant, in libris notabant, qui XV-uirum commentarii dicebantur. Ab iisdem Augustus tempus secularium ludorum didicit, atque ura in posterum etiam obseruaretur edixit. Citat etiam Censorinus

forinus Valerium Antiatem, qui ab V. C. seculo VI medio Annales scripsit, itemque Pisonem Censorium, Cn. Gellium, Cassium Heminam, Liuium, de quibus conferri meretur Vossius de Hist. lat. Exeat Horatii carmen seculare, Augusti, ut testatur auctor uitae Horatianae, quae Suetonio tribui solet, ius-
su factum, eiusque ludis secularibus cantatum. ad quod pertinent Od. XXI l.I, & VI l.IV. Catulli car-
men ad Dianam huc plane non pertinet, atque in-
scriptionem suam recentiori manu fert acceptam.
Praeterea horum ludorum mentionem faciunt Fe-
stus Pompeius, Dio Cassius, Suetonius, Tacitus,
Valerius Maximus, Herodianus, Zosimus, alii.

Ex quibus colligo, nomen quidem secularium ludorum singulis generibus esse commune, sed esse tamen ludos ipsos et ratione primae originis ac destinationis, et loco, et tempore, et sacro-
rum diuersis ceremoniis, adeoque re ipsa, diuisos.
Nam quod de nomine ipso secularium ludorum dic-
itur, quod sit recentioribus demum temporibus,
scilicet Augusti imperatoris, additum, nec primis,
secundis, tertiiis, nec forte quartis, impositum fuerit,
inuentum est Onuphrii Panuinii, cui eo minorem
fidem habemus, quod nullum opinionis suaे testem
adducere sic potest, et de antiquitate uocabuli satis
constat.

III

Ac primo quidem quod ad originem ludorum
secularium attinet, de primo genere scribit Zosi-
mus

mus I. II. bello Romanorum cum Albanis, cum utrinque iam in armis essent, quendam prodigiosa facie conspectum esse, amictum pelle nigra, clamantem, Dicem patrem atque Proserpinam eis imperasse, rem sacram sub terra prius sibi facerent, quam uentum ad manus esset. Romanos hoc spectro territos aram sub terra struxisse, et facta re sacra defossam ad altitudinem XX pedum eam occultasse, ut Romanis exceptis aliis omnibus ignota foret. Ex quo apparet institutum hoc sacrum primum bello Romanorum cum Albanis, quod sub Tullo Hostilio, qui a. V. C. LXXXIII regnare coepit, gestum est. idque factum ex consilio uatis alicuius, siue uti putabatur numinis, non uero ex inspectione librorum Sibyllinorum, quae longo post tempore sub Tarquinio Superbo Duumuiris demandata legitur. Praeterea manifestum fit factum id sacrum esse Diti patri et Proserpinae. quod etiam fidem facit carmen Sibyllinum, quod pro eo adducitur, huc non pertinere, quod nulla in eo numinum istorum facta sit mentionio, quamvis interpretes aliqui haec ibi subintelligi putent. quae uero nominantur, his nusquam sacra, de quibus loquimur, facta legimus.

Initio autem hoc sacrum Ditis et Proserpinae sine ludis peractum esse censeo, quos posteris temporibus hac occasione accessisse narrant Zosimus, et Valerius Maximus. Sabinus quidam nomine Valerius filios habuit tres, qui cum peste laborarent, diuinitus monitus est, ut eos Terentum deportatos ex Ditis patris et Proserpinae ara petita aqua calida recrearet. quo facto cum pristinae sanitati restituti

26.

stituti fuerunt, aliquando somnio commonefacti sunt, ut ad Ditis patris et Proserpinae aram, a qua fuerat potio ipsis allata, furuae hostiae immolarentur, lectisterniaque et ludi nocturni fierent. id quod pater, inuenta ara his numinibus inscripta, effectum dedit. *Quis autem fuerit Valesius, de eo non liquet. antiquior natalibus urbis fuit Valeriorum apud Sabinos familia, et iam sub Romulo illuc coloniam misit. Onuphrius Panuinius existimat eum sub Seruio Tullio uixisse, et patrem fuisse Poplicola et M. Valerii. sed quo autore adductus id fecerit nescio.* Interim tamen profecto hos ludos instituere debuit medio tempore inter annos p. V. C. LXXXIII, et CCXLV. quo anno P. Valerius Poplicola primum ex priuatis ludis publicos fecit, institutum tamen secutus Valesii. hoc enim significant uerba illa apud Valerium Max. quod publice nuncupatis uotis sacra fecerit.

Videntur autem hi ludi primo non statis temporibus fuisse alligati, sed eorum ad quos haec cura pertinuit arbitrio relictum fuisse, ut eos imminentे urbi ingenti aliquo periculo facerent. Zosimus enim scribit P. Valerium eo motum, quod pestis urbem occupauerit. quae res antea etiam Valesium mouerat, ut testatur Valerius Max. et Festus scribit, in hac ara antea pro malis auertendis populum Ro. sacra facere solitum esse. Demum anno ab V. C. CCCV institutum esse opinor, ut hi ludi anno centesimo redderentur. Quorsum pertinere puto hunc Varronis locum ex libro I de Scenicis originibus, quem Censorinus, c. refert. cum

B

mul-

multa ait portenta fierent, et murus ac turris, quae sunt intra portam Collinam et Esquilinam, de coelo essent tacta, et ideo libros Sibyllinos X-niri adfessent, renunciarunt, uti Diti patri et Proserpinae ludi Terentini in campo Martio fierent, et hostiae furuae immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent. De centum annis quoque Valerius Antias aliisque testes sunt, apud eundem Censorinum. Praeterea annis etiam p. V. C. Iov et locv hos ludos relatos legimus apud Liui Epitomat. l. XLIX, qui his annis ludos Diti patri ad Terentum ex praecerto librorum Sibyllinorum factos esse scribit. id quod manifesto est indicio, eos ab altero ludorum genere, qui ex Sibyllae iam citato oraculo anno centesimo decimo instaurari debuerunt, diuersos fuisse. Simul autem ab allegatis autoribus in hanc adducimur coniecturam, anno primum p. V. C. CCCV inspectos de his ludis esse libros Sibyllinos, compertumque, eos in posterum centesimo quoque anno fieri oportere. et hoc quidem oraculum, quod ad primum ludorum genus pertinuerit, perisse, ab eo certe quod hodie extat diuersum fuisse, quoniam hoc neque Ditis et Proserpine, neque centum annorum mentionem faciat.

Denique hi ludi tantum in campo Martio ad Terentum edi debuerunt, ut ex citatis aliisque autorum locis patet, cum reliqui etiam in aliis locis sint spectari soliti. Locus autem ille quis fuerit, ab aliis iam copiose explicatum est.

Id mihi hoc loco praetereundum non est, hos ludos

26.

dos non statim ab initio, sed tum demum, cum centum annis redditii sunt, dictos esse seculares, antea uero uel Terentinos, uel nomine alio appellatos. quem admodum et Liuii Epitomator l. c. ludos uocat Ditis patris ad Terentum factos. et Verrius apud Festum ad distinctionem a reliquis nominat ludos seculares Ditis patris. Augustinus ludos inferis sacros uocat, et manifeste distinguit a ludis secularibus ex autoritate librorum Sibyllinorum institutis, de Ciui, Dei l. III, c. XVIII.

IV

Iam collato, cum primo hoc ludorum genere altero, quod in Apollinis aliorumque numinum honorem institutum esse dixi, apparebit, illud et ratione originis a sequioribus temporibus repetendae, et ratione temporis, et aliis etiam circumstantiis, a primo genere diuersum esse. Nihil celebrius est ludis ab Augusto Imperatore p. V. C. Icc XXXVII anno editis, adeo ut haud male fecerimus, si ab his ad antiquiora progrediamur tempora, atque hac ratione illorum tenebras quamuis exiguo lumine illustremus. De his autem nulla datur dubitatio, quin fuerint ex formula carminis Sibyllini, quod hodienum extat, instituti. testantur id scriptores supra allegati. Eius autem haec est sententia, Romanos singulis centum et decem annis diis immortalibus sacra facere debere, principio quidem Parcis, tum Lucinis, itemque Telluri, Ioui, Iunoni, et Apollini. Conferamus nunc cum isto carmen

B 2

secu-

seculare Horatii , et scriptorum loca alia infra a me
afferenda , apparebit , hisdem numinibus ludis istis
sacra esse facta . Iam uero in allato Sibyllae oracu-
lo nihil de Dite patre et Proserpina reperimus . Col-
ligo exinde ludos et sacra , ex Sibyllae huius lege fa-
cta , plane diuersum a Terentinis institutum secu-
ta fuisse .

De tempore aperta res est . de quo Horati-
um audiamus . ita vero ille ,

Certus undenos decies per annos
Orbis et cantus , referatque ludos .

idem uero etiam in ludis secularibus ante Augustum
editis obseruatim esse docent nos XV- uirum Com-
mentarii , cum quibus consentiunt Fasti Capitolini ,
vetus Horatii interpres , et ipsa Sibylla . quorum
autoritatem quamvis in dubium vocauerit Dio . Pe-
tavius , assentientes tamen allegare possumus Onu-
phrium Panuinum , Ios . Scaligerum , Henr . Dodwel-
lum , alios . Quando itaque apud ueterem scripto-
rem de centum saltet annis scriptum legimus , id
ab errore aut scriptoris ipsius , aut descriptentium ,
profectum esse , tuto existimare possumus . Manifestus
Liui error apud Censorinum , qui asserit Caelarem
ludos fecisse , quos centesimo quoque anno fieri
mos fuerit . Contrarium enim , de his saltet , ex iis ,
quos allegauit , testimonii certo demonstrare pos-
sum .

Mensem quoque , quo ludi ab Augusto et se-
quentibus cum Imperatoribus editi sunt , conferre
pos-

possem, si de primo genere aliquid certi hac in parte afferri posset. de alterius auctorem generis ludis legitimus, quod sub messis tempore peracti sint. Zosimus clare, ipso ait messis tempore, paucis diebus ante quam ludi peragerentur. et Claudianus in VII Consulatum Honorii,

iam flauescētia centum
Messibus aestiuae detondent Gargara falces,
Spectatoresque iterum nulli celebrantia ludos
Circumflexa rapit centenus secula consul.

Discimus autem ex Varrone, de re rust. I. I. c. XXXII, messem plerosque facere inter solstitium et caniculam, quod frumentum dicant quindecim diebus esse in uagina, quindecim florere, quindecim exarescere, cum sit maturum. Iam uero solstitium aestivum, quod hic indicatur, secundum Columellam I. II. c. IV, incidit in IX. uel VIII Kal. Iul. quidies est Junii Juliani XXII, uel XXIII. Caniculae uero ortus secundum Varronem ad diem VII Augusti Juliani pertinet, ut comparauit Dodvvellus Diss. X. Inter utrumque terminum accurate interiacent ter quindecim, uel XLV dies, quorum XV posteriores a die XXIII Iulii incipiunt, quibus, exaractis frumentis, secundum Varronem communiter messis frumentaria fieri solebat, sed enim fieri potuit, ut id aliquor diebus ante acciderit. In antiquis certe Kalendariis ad diem VI Iulii, aut ad inequentes quoque, referuntur ludi Apollinares, qui cum nostris pariter editi uidentur esse. Probabile itaque

ex

ex his fieri concludo, ludos seculares ab Augusto, et aliis Imperatoribus, mense Iulio factos esse, idque etiam ante eos fuisse obseruatum. De Domitiani tamen ludis Onuphrius Panuius et alii existimant, quod XIII et sequentibus Septembribus diebus celebrati fuerint, quibus diebus ad imperium ille prouectus est. Quibuscum ut conciliat et Claudiani locum H. Dodvellus, messes dicit alias aliis fuisse seriores, ut aliquando in Octobrem incidentur. praetereaque Poëtis familiare esse ostendit, annum integrum illa partis Syncedoche denotare. vid. Annales Statian. n. XXVI. Sed quicquid de Domitiani ludis statuendum fuerit, de reliquis certe sententiam ne mutemus, uel Zosimi loco adducimus. Parum firma enim coniectura est Onuphrii, cum ex Domitiani ludis coniicit, omnium Imperatorum ludos seculares natalibus eorum imperii diebus esse editos. et consequenter, ante eos, ludos seculares omnes natalibus diebus urbis esse factos, qui fuerint XI, X, et IX Kal. Maii, siue ipsis Parilibus et sequentibus diebus. Nusquam enim legimus, quod in celebritatem diei natalis urbis Romae ludi isti, qui diuersum plane finem habuerunt, fuerint instituti. Interim adductus ab eo est Taffinus, ut idem statueret l. I. c. VIII.

Quod ad locum attinet, mea quidem est opinio, horum ludorum sacrorumque initium quidem factum esse in Campo Martio ad Terentum, ex praescripto oraculi Sibyllini, sed inde ad alia etiam loca peruentum esse. dicit enim nos ipsa Sibylla ad Iouis et Iunonis templo. aperte uero Zosimus scribit,

bit, primo ludorum die hostias propter ripam Tiberis ad Terentum esse consecratas, et spectacula edita. proximo die consenso Capitolio, et consuetis ibidem victimis oblatis, ad extructum inde theatrum uenientes Apollini et Diana ludos fecisse. quos quidem in Circo maximo, aliisque locis, editos fuisse, aliunde nouimus. At ludos Terentinos solummodo in Campo Martio fieri consueisse, Valerius Max. Zosimus, aliique testantur.

Iam explicabimus etiam, qua ratione ducti ludos alterius generis ante Augustum editos cum sequentibus conuenisse statuamus, et quomodo ad eorum originem perueniamus. Refert de Augusto Imperatore Suetonius, quod ludos seculares, diligentissime annorum ratione subducta, in ordinem redegerit. ad hanc uero rem XV. viros adhibuit, uti testis est Zosimus. hi singulis CX annis quatuor uicibus ante eum factos hos ludos, et quintos in eius tempora incidere affirmabant, ritusque sacrorum ueteres, inspectis libris Sibyllinis, ei subministrabant. et Suetonius scribit, eum inter antiquas ceremonias etiam ludos seculares restituisse. ipsum uero edito XV. viirum calculum approbabasse legimus. Ex quibus probabile fit, ludos ab Augusto factos et ratione temporis, et loci, & instituti, et rituum ac sacrorum a Sibylla praescriptorum, accurate cum iis consensisse, quos XV. viiri ante eum factos prodiderunt. His ducibus denique, quos neque Imperator spreuit, ad alterius ludorum generis originem peruenimus. Referunt illi primos eius generis ludos, seu quintos ab Augusto, ad annum V. C. CCXCIIX,

ut ex

uti ex Censorino discimus. Ex quo et illud, quod initio afferueram demonstratur, quod etiam ratione originis huius ludi Terentinis secularibus sint diversi, quos iam anno V.C. CCXLV publicos factos esse supra ostensum est.

V

Causam institutorum alterius generis ludorum hanc reddit Iosephus Scaliger, quod tunc temporis Periodus Romanorum, XXII lustris constans, a primo lustro primum in orbem redierit, annusque in solem, lustrum in annum, Periodus in lustrum conuenierit. Sed quoniam et initium lustrorum Romanorum, et Periodus ipsa, ualde dubia est et controversa, omittimus hanc conjecturam, et quoniam ludi seculares nihil cum legibus astronomicis commune habere uidentur, aliam ex historia ciuili inuestigabimus. Existimo itaque inuentionem librorum Sibyllinorum occasionem dedisse huic instituto. Afferebantur hi primum ad Tarquinium Superbum, qui rex Romanorum factus est p. V. C. CCXX anno. hic libris comparatis, Duumuiros creauit, et eorum custodiam iis demandauit. qui eos consulebant, (uerba sunt Dionysii Halic. I. IV) quoties id Senatus decreuerat, cum in republica orta erat seditio, aut in bello grauis aliqua et insignis clades accepta, aut cum aliqua prodigia aut spectra apparuerant, quae magnum aliquod et cognitu difficile malum portendebant. Comprobat id exemplum Postumii, qui, initio belli Romanorum cum Latinis, cum uictus inopia laboraretur, metusque esset

06.

estet ne plane deficeret, inspici iussit libros Sibyllinos, ex quibus cum Cererem, Liberum, Liberaisque, seu Proserpinam, placandam esse cognouisset, sacra eis aedesque uouit. sicut hanc rem narrat Dionys. l. VI. Idem refert l. X, antequam Tribunitiae seditiones ortae essent, anno p. V.C.CCXIII, prodigiorum causa, quae tunc temporis maxima mala portendebant, libros Sibyllinos consultos monuisse, fore, ut bellum contra externum hostem civilis seditio praecederet, quae nascens sit ex urbe propellenda, deos placandos, sacrificiis uotisque mala auertenda, ita enim eos uictoriam ab hostibus reportatuos. quibus euulgatis, diis εξανεγγέλοις τε καὶ ἀποτελούοις, malorum depulsoribus et auerruncis, hostias esse immolatas. Seditiones autem, quarum meminit Dionysius, durabant adhuc anno p. V. C. CCXCVIII. probabile igitur est tum temporis etiam Apollini aliisque diis ex monitu Sibyllae haec primum sacra ludosque facta esse, quae deinceps singulis CX annis redderentur.

Solebant enim his ipsis pro incolumentate Populi Rom. uota precesque fieri. Quam in rem conferendum Horatii carmen seculare, itemque Od. XXI, l. I.

Hic (sc. Phoebus) bellum lachrymosum, hic
miseram fainem,
Pestemque a populo et principe Caesare
In Persas atque Britannos
Vesta motus agat prece.

C

andia-

audiamus etiam quae Sibylla polliceatur.

Ταῦτά τοι ἐν Φρεσίνησιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι,
Καίσοι πᾶσα χθῶν Ιπαλή καὶ πᾶσα Λατίνη
Αἰὲν ύπὸ σιήπτροισιν ύπαυχένιον ζυγὸν ἔχει.

VI

Explicata iam aliquam partem duum generum ludorum secularium differentia, adhuc notandum arbitror, uideri mihi haec duo genera ab Augusto Imperatore anno V. C. I^o CCXXXVII in unum esse confusa, sine dubio quoniam prioris generis ludi anno I^o CCCV omitti erant. ita enim Zosimus scribit, Augustum Ditis sacrificium neglectum ad tempus renouasse, et diis, quibus his ludis sacra facta sint, etiam Ditem et Proserpinam accenset. Suetonius item intermissos dicit ante eum ludos seculares, scilicet non Apollini aliisque diis dicatos, qui secundum XV -uirum Commentarios a. V. C. I^o CCXXIX editi fuerant, sed quos dixi Diti patri et Proserpinae sacros. aut quoniam, carmine Sibyllino ad Terentinos ludos pertinente amissio, putaretur, illos etiam eo quod allegauit carmine intelligi, dum hic praecipitur, ut diis immortalibus sacra fiant in campo ad Tiberim. Terentini enim etiam hoc in loco fieri solebant. Sed quaecunque uniendi haec duo genera causa fuerit, nostram praeterea confirmat sententiam, quod post Augusti ludos seculares Terentini anno V. C. I^o CCCV,

et

et sequentibus seculis, plane omissi, neque unquam repetiti fuerint. deinde quod in Augusti secularibus a Domitiano redditis aerae Terenti reuocatae et instauratae mentio fiat a Statio Sylu. l. I, et IV. per hanc uero aram illam Ditis et Proserpinae intelligimus, quae ad Terentum sub terra abscondita seruabatur. et in ludis postremo ab Honorio factis Diti sacrificatum innuere uidetur Prudentius, quamvis, nisi alia essent, hoc non satis firmo non audem niti argumento.

VII.

Peruenio ad tertium genus ludorum secularium, qui eum in finem instituti uidentur, ut iis centesimus quisque ab V. C. annus celebraretur. De quibus quoniam nullam factam memini mentionem, quod Apollini, Diana, Diti, aliisque numinibus in specie dicati fuerint, existimo pro arbitrio Imperatorum, nulla habita oraculi alicuius Sibyllini ratione, institutos, iisque communiter diis, non iisdem solum quos dixi, sed et aliis, pro salute P. R. et perpetua imperii felicitate, nota facta esse et persoluta. Facti primum hi ludi uidentur a Claudio Imperatore ab V. C. Is CCC anno, indeque redditi anno Is CCCC et cIo. et distincti etiam sunt ab Augusti ludis secularibus, cum iam fieri desissent, uti inferius ostendetur. Habent hoc cum primo genere commune, quod praecise centesimo ab V. C. anno redire debuerunt. sed quod plura etiam cum reliquis ludis secularibus communia habuerint, ne-

C 2

que

que negare possum, neque affirmare ausim. Sufficit, quod ratione originis et primae institutionis a reliquis sint distincti. Quam ob causam putant aliqui non proprie seculares dici, et pluribus eos uerbis circumscribunt. Scaliger ludos uocat centenariis natalibus urbis editos.

VIII

Postea quam ludorum secularium differentias ex origine et institutione, alisque circumstantiis, duetas exposuimus, sequitur ut ludos ipsos, et sacra, quae una cum iis peracta sunt, quae et qualia fuerint inuestigemus. Nulli enim ludi, ut Tertullianus scribit, sine sacrificiis peragebantur.

Antequam ludi aperirentur, praecones urbe tota atque Italia ibant, inuitantes ad ludos, quos nec spectasset quispiam, nec spectaturus esset, ut ex Suetonio, Zosimmo, aliisque discimus. quae formula de eiusdem generis ludis accipienda est. quod nisi fiat, cum Romanorum uulgo eam ridebimus.

Deinde paucis diebus ante quam ludi peragerentur, in Capitolio, ut scribit Zosimus, temploque Palatino, Quindecimviri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant, cuiusmodi erant faces, sulphur, et bitumen. Haec quin omnibus ludorum generibus fuerint communia negare haud possimus.

Quod uero de distributione tritici, hordei, et fabarum, populo in iisdem locis, temploque Diana coënti facta ab eodem dicitur, id forsitan Augusti faltem.

saltem et eiusdem generis ludis secularibus fuit proprium. hanc enim in sententiam Zosimi locum interpres, ubi scribit, οἵτοι καὶ πρῶτην ἐμάσος Φέρετ, id est ferr, afferit, accipit, non uero secum afferit, ut alii reddunt. itemque paulo post, αὐται γὰρ, ὡς εἰρηται μοι, καὶ τῷ δῆμῳ πολυτι διανέμονται, id est, haec enim, ut dictum a me est, uniuerso populo distribuuntur, non, ab uniuerso populo distribuuntur. Originem autem uidetur haec largitio traxisse a tempore, quod ludi sub finem messis edebantur. prima autem messis erat hordearia et fabaria, quam sequebatur frumentaria et triticiaria, sicut ex ueteri Kalendario rustico perspicimus. et quoniam singularis annis primitiae frugum diis offerri solebant, fieri potuit, ut illae hoc anno seculari populo harum rerum egeno distributae fuerint. Et aliis quoque temporibus frumentariae largitiones fieri solebant. Ad quas accessere aliquando missilia, quae uel aureis atque argenteis numis, uel tesseris, uel aliis rebus constabant, itemque epulæ, quae ab Imperatoribus populo exhibebantur. de quibus copiose egit Taffinus l. I. c. IX.

IX.

Hinc ad sacra ipsa ludosque accedebatur. De Tarentinis id saltem legimus apud Valerium Max. et alios, Valesium inuenta ara Ditis patris et Proserpinæ hostias nigras, quae antiquitus furuae dictae

C. 3

sint,

sint, Terenti inmolasse, ludosque et lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem sibi filii morbo liberati essent, fecisse. cuius exemplum secutus P. Valer. Poplicola apud eandem aram caesis atris bo- bus, Diti maribus, feminis Proserpinæ, lectister- nium ludosque trinoctio fecerit, aramque terra, ut ante fuerat, obruerit. Festus scribit, ludos secu- lares centesimo anno ibi factos, in quibus hostiis furuis operati sint tribus diebus totidemque no- cibus.

Ditis autem patris religionem Romani anti- quitus receperunt. quippe cui et homines, quos im- pune occidere uellent, deuouebant. id quod a Ro- mulo factum scribit Dionys. Hal. l. II, c. X. Aedes ei uouisse legimus Titum Tatium Sabinum. Pro- serpinæ aedes uouit et extruendas locauit anno p. V. C. CCLX Postumius, paulo post a Cassio con- secratas. de quo uideri potest idem Dionys. l. VI, c. XVII, et XCIV. Hanc superstitionem a Graecis di- dicerant. narrat enim Pausanias in Eliacis, apud Eleos templum Plutonis fuisse, quod licet quotan- nis semel aperiretur, nemini tamen introire licui- sis praeterquam sacerdoti. Proserpinæ templo- rum meminit idem in Corinth. c. XXXIV. Erat eti- am in Samothrace antrum Hecatae sacrum, quod Zerinthus dicebatur, ubi canes sacrificabant, spe- rabantque qui in magnis uersabantur periculis, si eo confugerent, se liberatum iri, uti nos docent Suidas, et Schol. Aristoph. Putabant autem Pluto- nem dominum esse et regem terrae atque infero- rum, quemadmodum Iouem superum. Cicero l.

IL

II, de nat. deor. terrena, ait, omnis uis atque natura Diti patri dicata est, qui dis est, ut apud Graecos Pluton, quia et recidant omnia in terram, et orientur e terra. Arnobius eum Ioue in Stygium appellat, et Proserpina Iuno inferna dicitur a Virgilio.

Solitum vero esse his diuis de nocte sacra fieri, nigrasque uictimas offerri, etiam ex Virgil. Aen. VI, et Tibulli l. III, El. V, appetet. Nox enim perpetua est apud inferos. hinc apud Callimachum,

Ωχαρίδα τι τὰ νέφες; πολὺ σκότος.

Martialis l. XII Epigr. Furias putauit nocte Ditis emeras. unde Pluto noctis arbiter dicitur apud Senecam, et Claudianum. Nocti uero ater color conuenit, quamobrem ipse Dis pater niger dicitur apud Ouidium.

Hoc quoque animaduersionem meretur, quod sacra illa sub terra peracta sint, et quod ara sit sub terra occultata ad altitudinem pedum XX. quod sine dubio eam ob causam factum est, quoniam diis inferis, qui sub terra essent, fierent. Legimusque idem de ara Consi, siue Neptuni, cui Romani Coniugalia dicarunt, quae in Circo maximo occultabatur. de utraque conf. Alexander ab Al. dier. gen. l. V, c. XXVI, et eruditorum uir. notas. apud quos plura quoque de sacrificiis inferorum reperiuntur. Alii ideo factum contendunt, ne ab aliis praeterquam Romanis conspiceretur. qua ratione cum Eleu-

Eleusiniis mysteriis, quarum etiam quae parua dicuntur Proserpinæ sacra fuisse tradit Scholia stes Aristophanis, conuenirent, in quibus sacra a peregrinis abscondita seruabantur, et lex erat, τὸν ἐξαιρόντα τὴν μυστήρια τεθροῖναι, ut ait Sopater. De Neptuni equestris aede iuxta montem Alesium narrat Pausanias in Arcad. ab eius aditu homines retentos esse. quorum conferantur, quae supra de Plutonis aede ex eodem retuli. Antequam autem ara ista rursus terrae mandaretur, inscriptum ei et tempus est, quo ludi facti sint, et nomen eius, qui fecerit. Huiusmodi inscriptionem apud Zosimum reperimus, inde a Poplicolae temporibus, si credere fas est, repetitam. Ad eius exemplum Onuphrius magno labore effinxit inscriptiones, queis ille putat a Caesaribus aram eandem esse exornatam. qua opera dignum se praestitit, qui ab ipsis, si tunc uixisset, ad hoc negotium adhibitus fuerit. Sed num usui ad hanc rem istis temporibus eius diligentia esse potuerit, de eo ualde dubito.

Ludi quales fuerint, non constat. Scenici enim posterius inuenti sunt, itaque Circenses fuerint necesse est, de quibus infra dicendi locus erit. Iisque haud dubie ignibus aut facibus de nocte accensis celebrabantur, quemadmodum in Proserpinæ sacris fieri consueisse scribit Lactant. Inst. diu. I. I. c. XXI. Praetereo quae de trinoctio, quo ludi peragebantur, afferri possent. numerum enim ternarium in sacrificiis inferorum in primis usitatum fuisse, neminem qui in scriptoribus veteribus uersatus sit latere potest.

Quod

Quod ad lectisternium Martinet, quod diis factum dicitur, erat haec ceremonia nec Graecis incognita, qua lecti ponebantur in templis aut locis aliis, ut iis simulacra deorum uenerationis causa colloarentur, et circum illos aut supplicationes precesque, aut epulae diis exhiberentur. Livius l. V, c. XIII originem eorum refert ad annum V. C. CCCLV. cuius autoritati si stamus, lectisternia primis ludis secularibus adimenda erunt, aut credendum, non prima esse, quae hic a Livio commemorantur.

X

Non erit ab hoc loco alienum, si a ludis Ditis secularibus distinctos esse doceam Taurios, de quibus P. Diaconus ex Festo sic scribit. Taurii appellabantur ludi in honorem deorum inferorum facti, instituti autem uidentur hac de causa. regnante Tarquinio Superbo, cum magna incidisset pestilentia in mulieres grauidas, quae fuerat facta ex carne diuendita populo taurorum, ob hoc diis inferis instituti ludi, et Taurii uocati sunt. Fortassis hi ludi sub P. Val. Poplicola IV Consule reuocati sunt, quos aliqui cum secularibus confundunt, ut infra a me dicetur.

XI

Dixi quae occurrebant de ludis Terentinis secularibus. sequitur nunc, ut et eorum sacra ritus-

D

que

que inuestigemus, qui secundum praecriptum Syllae instituti, et ab Augusto redditii sunt. Illa quidem de his ita cecinit.

Θεοῖσι μὲν αὐτανάτοισι
Ρέσειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύεριδος ἀθλετον ὑ-
δωρ,

Οππη γενόμετον, νῦν ἡγίνα γοῖναν ἐπέλθη,
Ηελίος οὐρύψαντος ἐὸν Φάος. ἐνθα σὲ φέσειν
Ιερὰ παντογόνοις Μοίραις ἀρνάς τε καὶ αἴγας
Κυανέας, ἐπὶ ταῖς δὲ Εἰλαιοῖς ἀρέσασα
Παιδοτόνες θυέσσιν, ὅπη θέμις. αὐτῷ δὲ Γαῖῃ
Πληθυμένη χοιρός τε καὶ ὄντος ιεροῖτο μέλαινος.

hoc est,

diis quidem immortalibus
Ut sacra facias in campo ad Tiberis immensam
aquam,

Vbi arctissima, nox quando terrae superuenierit,
Sole abscondente suam lucem, hic tu sacrificato
Omnium generatricibus Parcis agnos et capras
Caeruleas, post haec Lucinas placato
Puerperas hostiis, ut fas est, itemque Terrae
Feraci et porci et suis macletur nigra.

Hoc loco per immortales deos, quibus noctu fit
sacrificandum ad Tiberim in Campo Martio, intel-
ligunt aliqui Ditem patrem et Proserpinam, sed non
tene argumentantur. quasi non etiam aliis diis in
codem loco noctu sacra fieri potuissent. Contextus
cer-

certe ostendit, intelligi quae post recensentur numina, Parcas, Lucinas, et Tellurem, quibus illic sit sacrificandum, idque noctu, cum e contrario reliquis, quos coelestes uocat, interdiu, et in templis ipsorum, sacra facienda sint. Quamuis non negem, posse eos hic intelligi quatenus eorum sacra cum iis, quae ex Sibyllae praescripto peragebantur, coniuncta postea fuerunt, quae interpretatio a XV-viris sub Augusto Imperatore adiecta uidetur. Pergit autem Sibylla.

Πάντεινοι ταῦτοι δὲ Διὸς παρὰ Βαρύν αὐγέ-
στων

Ηματι, μήδ' ἐπὶ νυκτὶ. Θεοῖσι γαρ ερανίοισι

Ημέριος πέλεται θυέων τροπος. ως δὲ ημι
άνπως

Ιρεύειν δαμάλεις τε. Ροὸς δέμας αὐγλαὸν
Ηρῆς

Δεξιάθω νηὸς παρὰ σεῦ. ηαὶ Φοῖβος Απόλ-
λων,

Οσε καὶ Ηέλιος πιπλήσιεται, ἵσται δεδέχθω
Θύματα Λητοΐδης.

hoc est

Candidi uero tauri Ioui ad aram ducantur
De die, non de nocte. diis namque coelestibus
Diurnus est uictimarum modus. eadem uero ra-
tione

Macentur iuuencae. Vaccae corpus purum Iu-
nonis

D 2

Capiat

Capiat templum per te. et Phoebus Apollo,
 Qui et Sol uocatur, paria recipiat
 Sacrificia, Latonae filius.

Mihi nero uidetur, autorem huius carminis, dum
 hanc secularem Romanis religionem iniungit, id
 eos sub fabularum inuolucris monere uoluisse, ut,
 quotiescumque memoria eius eos subeat, uitae suae
 initia, cursum, exitumque contemplentur. ac de exi-
 tu quidem tempus ipsum eos admonere debere,
 quod pauci uiuendo attingant. ita enim carmen in-
 cipit.

Αλλ' ὅπόταν μέγιστος ἦν χρόνος ἀνθεώποις
 Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα πύλων ὁδεύων.
 hoc est,

Sed cum longissimum uenerit tempus hominibus
 Vitae, ad annorum centum et decem circulum
 means.

cum uero ut hic ab initio perueniant, deorum im-
 mortalium munus sit, ideo pro iam acceptis ab iis
 beneficiis gratias persoiuendas, eorumque auxilium
 in reliquum etiam tempus esse exposcendum.
 quod ut necessarium esse indicet subiungit,

Μεμνηθαι Ρωμαῖς, καὶ μάλα λῆσαι εἰαυτόν
 Μεμνηθαι τάδε πάντα.

id est,

Me-

Memento Romane, nec ualde obliuiscaris eius,
Memor sis horum omnium.

Incipi autem uult a Parcis, proptrera quod hae fata ad ministrando, partiendoque singulis, seu distribuendo, faciant ut homo existere incipiat. ab his proximas collocat Lucinas, quibus debeamus quod in has uitales auras produci simus. sequitur Tellus, quae materiam suppeditauerit, ex qua potuerimus nasci, natos que tanquam benigna mater tollat et nutrit. Post hos primo inducit Iouem tanquam coelestem ditinamque auram, quae afflato suo corpoream solem excitet, mentemque ei largiatur diuinæ particulam auræ, qua sine depresso illa abiectaque iaceret. tum Iunonem afferit, quoniam sine ea, tanquam humentes frigidoque aëre, languendum nobis esset, neque uiuere possemus nec spirare. ultimo loco Phoebum seu solem commemorat, quod hic demum mensuram reliquorum munerum impleat, dum calorem corpori tribuendo, nos soueat, educat, atque ad florrem aetatis et maturitatem perductos, diu uegetos præstet, prohibeatque ne statim inde ad pristinum statum relabamur. Atque ut mihi quidem uideatur, recte priora numina noctu, posteriora interdiu ueneranda præcipit. uita enim hominis quamuis priorum beneficiis abundet, si reliquorum muneribus careat, mors uerius et nox appellabitur, quam uita, statim uero atque illorum splendore tenebrae eius disiectae fuerint, tunc demum caput extolleatque in clara luce dieque uersari incipimus. Si bylla itaque statum, ad quem a singulis perducamur,

D 3

re-

respiciens, prioribus nocturnum, reliquis diurnum cultum tribuit, quoniam, nisi horum lux accedat, nobis

Nox sit perpetuo una dormienda.

Accommodate autem ad hanc sententiam Parcas παντογόνες appellat. Parca enim, ut ait Vossius, de Idol. l. II, Astrologis est uis coelestis, uitae productrix et conseruatrix ad certum usque spacium, quod excedi possit a nemine. Quod uero idem eas esse dicit ac fatum, mihi aliter uidetur, qui fatum appello, secundum ueterum opinionem, leges ab aeterno et diis et hominibus a natura positas, quae mutari nequeant, ex quarum necessitate omnia et diuina et humana euenire putabant. harum non autores, sed ministrae sicut Parcae, quoniam fatorum iussa ad hominis productionem uitamque spectantia exsequuntur. Ab eadem re nomina sortiti sunt de quibus Scholion Graecum ad Pindari Olymp. adscribam. οἵ δὲ τὰ ὄνόματα αὐτῶν πεποιημένα. οὐκ οὐ μὲν ηλωθῶ πηρά τὸ συγκλώθειν τὰ αἰνθεώπινα. οὐ δὲ λάχεσις πηρά τὴν ηλίγεωσιν τὴν ποιῶν οὐκ ἔναισις γεγονὼς ηειλίγεωπαι. οὐ δὲ τείτη ἀτερπος, πηρά τὸ ἀμετότρεπτον τῆς μοιριδις αἰνάγης. Dicuntur praeterea noctis filiae, quoniam, ut Vossius interpretatur, fatalia sunt obseura. quod etiam Sylla spectare potuit, cum eis nocturna sacra, quibus et caeruleae agnae, seu nigrae, conueniunt, tribuit.

Non

Non minus apposite Lucinas vocat παιδότονες, id quod optime explicat Scholiares Aristoph. ad Lysistrat. Εἰλείθυια, τὰ τέσιν ἄρτεμις Φωσφόρης (Diana Lucina) τῆς εἰς τὸ Φῶς ἐλεύσεως τὸν ΡέγεΦῶν ἔφορης, καὶ ταῖς πιλέσσαις παρεστᾶται θεά ὄμηρος πλείστης εἰλείθυιας ποιεῖ. Confunditur saepe Lucina, quae partui et parturientibus praeest, cum Diana et Phoebe, quae etiam Lucina, id est Φωσφόρης, indeque Luna dicta est, quae uenationibus et agriculturae est praeposita, itemque cum Hecate, quae et Proserpina dicitur. Caecullus Lucinam a puerperis Iunonem vocari scribit. Quod uero Lucina haec ab aliis diuersa sit, docet Pausanias, in Atticis, qui eam ex Hyperboreis Delum uenisse scribit, ut parturienti Latonaे opem ferret, e Delo uero ad alias gentes eius nomen et cultum peruassisse. Idem in Corinth. refert, quod apud Hermionenses quotidie et hostiis, et odoribus, ac donis culta sit. sed quales illae hostiae fuerint, quas nee Sibylla indicat, haud inuenire potui. Ab Argiuis quidem eane sacrificatum illi esse, ob facilitatem pariendi, autor est Socrates, apud Plutarch. Quaeſt. Rom.

Telluris uaria sunt nomina apud Graecos et Latinos, cuiusmodi Rhea, Cybele, Didymene, Ops, Mater, Proserpina, Vesta, et quae sunt alias. Adumbrari per eam solet, ut ait Vossius c. l. naturae pars, scilicet tellus, quatenus ex ea omnia quae cernimus ortum suum habent. quorum cum gaudet multitudine, πληθομένη a Sibylla dicitur. De qua

qua dea, itemque de reliquis, Ioue, Iunone, et Apolline, eorumque sacris et hostiis, quoniam iam ab aliis satis explicatum est, nihil amplius adiicio, praeterquam quod ueteres per Iouem coelum cum aere superiore, per Iunonem aërem inferiorem terrae contiguum intellexerint. qua de re conferendus Vossius l. c. l. II, c. LIX. Explicandum etiam erat discrimin inter θες, ἀθανάτις, et γενίς, et inter sacra nocturna et diurna, quod istud sequi uidetur, sed haec et alia consilio omitto.

XII

Secutos autem esse Romanos in faciendis ludis secularibus istud Sibyllae oraculum, deinceps ostendam. Zosimus eos accurate describit l. II. Modus, ait, ludorum huiusmodi relatus est in literas. Locutus antea erat de ludis secularibus Seueri, Domitianii, Claudi, Augusti. et horum quidem ludorum leges Atteium Capitonem exposuisse, adiicit. Nullum itaque dubium est, quin ex hoc ipso Capitonis ut uidetur scripto sua hauserit Zosimus. Ille uero primo omnium, proximis diebus ante ludos ipsos seculares, ludos nocturnos factos esse scribit Parcisi. ναὶ τοῦ Moίρου, ait, ἀγύσι πανυχίδας μετὰ σεμνότητες ἐν νυχί. Id uero plane conuenit cum Sibyllae oraculo, supra a me adducto. Pergit deinde Zosimus, Vbi ludorum tempus appetuit, quos tribus diebus toridemque noctibus in Campo Martio faciunt, hostiae propter ripam Tiberis

Tiberis ad Terentum diis consecrantur. His autem diis rem sacram faciunt, uidelicet Ioui, Iunoni, Apollini, Latonae, Diana, tum praeter hos Parcis, et Lucinis, et Cereri, et Diti patri, et Proserpine. Prima nocte spectacularorum, ad horam secundam, tribus aris in ripa fluminis constructis, Imperator cum XV-uiris tres agnos caedit, et aris sanguine respersis solidas uictimas adolet. Scena uero sine theatro constructa, lumina cum rogis accenduntur, et hymnus recens factus canitur, adeoque spectacula consentanea rebus diuinis eduntur. Et haec qui peragunt, pro mercede primitias fructum, tritici, hordei, fabarum, accipiunt.

Quaeritur iam qui fuerint, quibus in ripa fluminis tres aera prima nocte erectae dicuntur a Zosimo. Parcis quidem antea sacra peracta erant, ut idem nos docuit. supersunt igitur ex Sibyllae oraculo Lucinae et Tellus, quae duas sibi aras ad cultum nocturnum uindicare uidentur, quoniam reliquis numinibus interdiu sacra fieri debuerunt. Tertiam uero aram existimo Diti patri et Proserpine fuisse dedicatam, quae quidem eorum religio, uti supra opinatus sum, his demum temporibus sacris secularibus Augusti et reliquorum accessit, quoniam de ea nulla a Sibylla mentio facta est, aperta autem sunt Zosimi uerba, quibus iisdem ludis inter reliqua numina etiam Diti et Proserpine sacrificatum fuisse testatur. Sed obstare hic uidetur, quod Sibylla Telluri porcum et suem nigram mactari uelit, Zosimus uero agnum ad id adhibitum scribat. at legitur et apud Homerum Telluri agna nigra litari solitum fuisse.

E

Ho-

Horum autem numinum cultus apud Romanos neque insolens erat, neque nouus. etenim Opis iam sub Romulo a T. Tatio Sabino aedes extructas, ei- que a. d. XIV Kal. Ianuar. annua sacra, Opalia di- eta, facta legimus. Iuno uero Lucina iam Seruii Tullii aetate nota fuit, ut ex Dionysio Hal. disci- mus. et Trium Fatorum, id est Parcarum, tem- plum memorat Procopius.

Quod uero noctu fieri haec sacra debuerint, conuenire uidentur cum magnis Eleusiniis, quibus noctu initabantur. quemadmodum id etiam ui- sum est Herodiano, qui per uigilia hic ad instar Ce- reris initiorum facta scribit. Sed quod de scena di- cit Zosimus, id de sequioribus temporibus accipien- dum est, ut infra demonstrabitur, uetustioribus e- nem, ut ait Livius l. VII, Circi saltem spectaculum fuerat. Qui uero ludi hic spectari soliti sint, alibi a me indicabitur. Erant sane illi rebus diuinis conser- tanei, hoc est uenerationi Ditis, Parcarum, et re- liquorum numinum accommodati. quorsum faces accensae et rogi pertinent. de quibus supra Lactan- tii locum adscripti, pluraque apud ueteres autores inuestigari facile possunt.

Haec inter spectacula prima nocte exhibita hy- mnus recens factus audiebatur. sed quaeritur in quem, et a quo, cantatus fuerit. nam qui in sequenti- bus diebus canebantur in laudem Apollinis, et aliorum, hic non intelligi possunt. apud alios uero praeter Zosimum nihil de hymno isto inuenire potui. Occurrit mihi tamen locus Ouidii, l. II Trist. El. I, ex quo colligo, Telluris laudes, cui antea sacra facta erant,

erant, illo esse percensitas, ita uero ille de Augusto,

Ipse quoque Ausonias Caesar matresque nurusque
Carmina turrigerae dicere iussit Opi.

quem locum ut ex Zosimo interpretemur, proxime
in sequentia uolunt uerba.

Iusserat et Phoebo dici, quo tempore ludos
Fecit, quos aetas aspicit una semel.

Fuisse autem hoc nouum institutum, cum ex allatis
scriptorum locis, tum ex eo colligo, quod in Sibyl-
iae carmine nulla eius fiat mentio.

Denique quod de mercede scribit Zosimus, iis
qui ludos celebrauerint data, id plane conuenit cum
oraculo Sibyllino.

Πάντες δὲ ἐξ οἵμοιο Φερέθων, ὅστε πομίζειν
Εἰς θέμις Θυητοῖσιν, ἀπερχομένοις βιότοιο,
Δάιμοσι μελιχίσιοισιν ἴλασματα πολλὰ μανά-
ρεσσιν

Οὐγανίδαις. τῷ δὲ πάντα πεθυσαντισμένοις
νειδῶ, .

Οφέα πεθυλαυτέρησι καὶ αὐδεράσιν ἑδριώσιν
Ενθεν πορσίνης μεμνήμένος.

id est,

Omnes autem e domo ferant, qua cunque ferre
Decet mortales, soluentes uitae primicias,

Diis benignis placamina, et beatis
Coelestibus. haec omnia accumulata iaceant,
Vt tam feminis quam uiris sacris assidentibus
Illinc p[ro]aebeas memor.

Quo loco τὸ δαιμονί Taffinus uertit Geniis,
et putat, ludis secularibus peculiare his sacrum insti-
tuendum hic praecipi, in eoque declarando copio-
sus est. sed quoniam nullam in suam sententiam
testem adducere potuit, uersionem potius Opso-
poei retinuimus. Similiter uero in ludis Apollina-
ribus edictum refert Liuius, ut per illos stipem deo,
quantum commodum esset, conferrent.

Pergit Zosimus, Proximo die consenso Ca-
pitolio, et consuetis ibidem victimis oblatis, ad ex-
tructum inde theatrum uenientes Apollini et Dia-
nae ludos faciunt. Exposuerat ante quid primo lu-
dorum die factum sit, iam ad alterum peruenit.

Quod autem Capitolium consensem, indeque
ad theatrum reuersum, scribit, id de Pompa ludo-
rum intelligendum est. Solebant enim Romani ad
sacra ludosque faciendos magno et splendido comi-
tatu procedere. quem morem eos a Graecis di-
dicisse contendit Dionysius Halicarnassensis, eum-
que copiosa oratione enarrat lib. VII, c. LXXII. An-
tequam, ait, ludi committerentur, uiri principes
pompam diis a Capitolio per forum in Circum ma-
ximum ducebant, in qua primi erant eorum filii
pubertati proximi. id quod in pompis etiam Circen-
sibus et Theatralibus factum testatur idem lib. II, c.
LXXI. hos sequebantur, (qui ludis ipsis inter-
erant)

erant) quadrigarii et bigarii. post hos ibant leuiorum grauiorumque certaminum Athletae. sequebantur saltatorum Chori, ac tibicines, et citharistae, hinc Satyristae, post eosque rursus alii citharistae et tibicines. denique incedebant qui ferebant thuribula. quos sequebantur deorum simulacra, quae hominum humeris portabantur. Peracta autem pompa confestim et Consules, et Sacerdotes, et aruspices uictimas immolabant. post quae deatum ad ludos peruentum est. Existimo itaque ad ludos seculares duplii aut triplici pompa peruentum esse, primo quidem die ex urbe ad campum Martium, altero consensem Capitolium, unde ad theatrum demum progrediebantur.

Iam quid per consuetas in Capitolio oblatas uictimas intelligat Zosimus, uideamus. Sibylla Iouem prodit et Iunonem, quibus illae offerri debuerint. Celeberrimum uero apud Romanos templum erat in Capitolio Ioui, Iunoni, et Mineruae communiter a Tarquinio Prisco dedicatum, de quo conferendus Dionys. l. III, c. LXIX, et lib. IV, c. LXI, unde Iupiter Capitolinus appellatus est, cui etiam ludi Capitolini dicti fieri solebant. Cum itaque consensem Capitolium dicitur, nihil aliud ne suspicari quidem possumus, quam Ioui et Iunoni iis litanum fuisse. erant enim hi dii, quibus pro more consueto uictimae in Capitolio offerebantur. apposite Virgilius id declarat, Aen. l. IX.

Iuppiter omnipotens, audacibus annue coeptis.

Ipse tibi ad tua tempa feram solennia dona,

E 3

Et

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem, pariterque caput cum matre feren-
tem,

et Inuenialis Sat. X.

- - duc in Capitolia magnum
Cretatumque bouem,

quod Sibyllae apprime conuenit, quae Ioui candi-
dos tauros et iuuencias immolari uult. Seruius
quidem ad Virg. l. c. Ioui de tauro non immolatum
scribit, nisi triumphi nomine. sed quid obstat, quo
minus et hoc singulare fuisse credamus ludis secu-
laribus. De uacca candente, quam Iunoni immo-
lauit Dido, uidendus Virgilius, l. IV Aen. Ritus,
quo uictimae peracta pompa diis immolatae fue-
rint, refert Dionysius Hal. l. VII, c. LXXII. qui
apud ipsum legi possunt.

A Capitolio deinde ad Circum maximum, in
quo etiam theatra construi solebant, aut alium quen-
dam locum, ad spectandos ludos Apollinis et Dia-
nae, pompa progressa est. quo ubi peruenit, pri-
mo omnium, ut ex Dionysio colligio, Appollini et
Diana sacrificatum puto, postea ludos ipsos esse e-
ditos. Apollo quidem, ut Macrobius ait, Sat. I. I, a
Romanis multa erat templa, aedes, aras consecutus,
celeberrimum tamen fuit, quod ei in monte Pala-
tino dedicauit Augustus Imperator, a quo etiam
Apollo Palatinus nominatus est. Diana uero tem-
plum in Auentino monte iam a Seruio Tullio ex-
tru-

truictum est, ibique sacra illi Idib. Augusti faciebant mulieres, faces ardentes in Aricinum nemus ex urbe proferentes. Sed ludis secularibus peculiares eis in loco spectaculorum arae extructae esse uidentur. Ac Apollinem quidem etiam Sibylla nominat, sed Dianam, et Latonam, quam Zosimus illis quoque adiungit, praetermittit. Quare existimo eas a Romanis insequentibus temporibus, et forte primum sub Augusto, novo instituto Apollini fuisse adhibitos, propter consanguinitatem, quoniam altera eius soror, altera utriusque mater credebatur. Quod uero de uictimis ei oblatis scribit Horatius, id cuin Sibyllae etiam conspirat carmine.

Quique uos bobus ueneratur albis
Clarus Anchise Venerisque sanguis
Imperet.

Dionysius citato loco scribit, in pompa ludorum simulacra numinum hominum humeris gestata fuisse. Existimo itaque finita pompa, iis in locis, ad quae peruentum erat, lectis ad eam rem instrutis, simulacra ista fuisse imposita, id quod lectisternium dicebatur, ut supra a me animaduersum est. Quod ut in ludis etiam secularibus factum credamus, haec Sibyllae uerba nos adducunt,

ημασι δ' εσω
Νυξι τ' επαγσυτερησι θεοσεπλες καπι θωνες
Παριπληθος αγνεις.

h. e.

b. e. diebus uero esto
 Noctibusque crebris uenerandis in puluinari-
 bus
 Frequens coetus,

de Seueri ludis Herodian. l. III, uidimus, ait, sub illo simul supplicationes et peruigilia, ad formam Cereris initiorum.

Peruenimus iam ad ludos ipsos, de quibus Sylla in genere praecipit, $\sigma\pi\gamma\delta\eta\ \delta\epsilon\ \gamma\epsilon\lambda\omega\tau\iota\ \mu\epsilon\mu\eta\chi\vartheta\omega$, id est, res autem seriae risui misceantur, eosque arbitrio eorum qui edituri sint relinquunt. ex quo non unius generis fuisse probable fit. certe in Augusti ludis Atteius Capito ludorum leges compoisse dicitur. Ad ludos quod attinet, edebantur illi uel in Circo, uel in Theatro, unde orra diuisio in Circenses et Scenicos. Ac Circum quidem Tarquinius Priscus extruxit, uti Dionys. Hal. docet, l. III, c. LXVIII. post quem alii quoque aedificati sunt, qui cum isto minores essent, maximus ille dictus est. Quae uero hic spectacula edi consueuerint, ab eodem discimus Dionysio, l. VII, c. LXXIII. Primum erat et quadrigarum, et bigarum, et singularium equorum cursus, eorumque qui curru uehebantur. Quibus peractis ingrediebantur, qui suis corporibus decertarent, cursores, pugiles, et luctatores. Interea homines coronabant bene de se meritos, uenerabantur, et uoce etiam praeconis collaudabant. Initium huiusmodi ludorum, in Circo postea spectatorum, ad Romulum refert Valerius Max. l. II, dicitque, Sabinis uirginibus captis

raptis, hos eum primum Consualium nomine celebrasse. Longo post tempore instituti etiam sunt ludi Scenici C. Sulpicio Paetico et C. Licinio Stolone Coss. anno p. V. C. CCCXCII, ut scribit Liuius l. VII, c. II. ex quo perspicimus, primo saltationibus saltem hos ludos constitisse, accessisse uero deinceps et uocem cantumque, et fabulas. Cum uero principio hi ludi nullis certis locis peragerentur, demum de extruendo Theatro cogitarunt M. Valerius Messalla et C. Cassius Longinus Censores a. V.C. Iō C. post eosque Theatra a M. Scauro, Pompeio M. et aliis extorta sunt, quibus et Amphitheatra gladiatorum certaminibus, ferarumque uenationibus, destinata accesserunt.

Apud Zosimum tantum Theatri mentio est. sed nullum est dubium, quin etiam Circenses, aliquae ludi adhibiti fuerint. Herodianus, lib. III, de ludis Seueri secularibus sic scribit, Vidimus quosdam omnis generis ludos cunctis editos theatris. seculares hi tum appellabantur. et Suetonius de Domitiano, fecit ait, ludos seculares. in his Circensium die, quo facilius centum missus peragerentur, singulos a septenis spaciis ad quina corripuit. Nam quae haec antecedunt, quoniam cum iis non cohaerent, ad seculares ludos applicare non audemus. Ita uero ille, Spectacula ait, magnifica assidue et sumtuosa edidit, non in Amphitheatro modo, uerum et in Circo, ubi praeter solennes bigarum quadrigarumque cursus praelium duplex, equestre ac pedestre, commisit, atque in Amphitheatro nauale quoque. nam uenationes, gladiatoresque et noctibus ad

F

lych-

lychnuchos, nec uirorum modo pugnas, sed et feminarum, exhibuit. Neque huc pertinent, quae de ludis quinquennalibus, seu Agone Capitolino ab eo instituto refert. hic enim biennio prior est secularibus. Stephanonis cuiusdam, qui primus togatus saltare instituerit, et utrisque secularibus ludis, et Augusti et Claudii, saltauerit, meminit Plinius l. VII, c. XLVIII. Augustus quoque secularibus ludis iuvenes utriusque sexus prohibuit ullum nocturnum spectaculum frequentare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorum. refert Sueton, in Octau. apud quem plura de eius ludis legi possunt.

Adiicit haec quoque Zosimus, matronas nobiles ad horam ab oraculo constitutam in Capitolium conuenientes deo, (id est Ioui et Iunoni, nisi legendum deae,) supplicasse, et hymnis eum, ceu fas est, celebrasse. Legebatur antea hic locus hunc in modum, τῇ δὲ μετὰ ταύτην ἡμέρᾳ γυναικες ἐπίσημοι πατέρων ὥστιν, et quae sequuntur. sed securae uerba ista, τῇ δὲ μετὰ ταύτην ἡμέρᾳ, deleo, describentis errore haud dubie repetita, cum proxime antecedens periodus ab iisdem incipiat. ac praeterea contextum orationis intuenti apparebit, locum illis hice esse non posse, itaque sic incipio hanc periodum, γυναικες δὲ ἐπίσημοι, et reliqua. Sibylla uero de hoc ita cecinit.

Aī δὲ γάμος Σεύγλαυς δεδημέναις ἡμαλὶ νέ-

νω

Γνωξ Ηγης παιδοι βαρονον αοιδιμον εδριόωσαν
Δατ-

26.

Δαιμονα λισσέωτον, ἀποστι θελήματα
δένει

Ανδρεῖσιν ηδὲ γυναιξὶ, μάλιστα δὲ Θηλυτέρη-
σι.

Videntur autem mihi hi ludi plane conuenire cum ludis Apollini ab anno p. V. C. I^o XLII quotannis institutis, qui in eundem quoque cum nostris mensem inciderunt. De iis Liuius, lib. XXV, refert, libris Sibyllinis inspectis, censuisse patres, Apollini ludos uouendos faciendosque, et quando ludi facti essent, XII millia aeris Praetori ad rem diuinam, et duas hostias maiores, dandas. item, ut Decemuiri sacra Graeco ritu facerent, iisque hostiis, Apollini boue aurato, et capris duabus albis auratis, (existimo autem hic cum Iac. Gronouio excidisse Dianam, cui caprae immolatae fuerint, quem uide in notis ad l. c.) Latonae boue femina aurata, ludos Praetorem in Circo maximo fecisse. factos populum coronatum spectasse, matronas supplicas- se, uulgo apertis ianuis in propatulis epulatos esse, celebremque diem omni ceremoniarum genere fuisse. Merinit eorundem Liuius l. XXX, scribitque, ad Veneris Eryciniae templum eos esse celebratos, quando Circus Tiberis alluuione inundarit.

Iam quae primis duobus ludorum secularium diebus peracta sint explicui, quoniam uero Zosimus tridui trinoctiique mentionem facit, denique quid tertio die factum sit, ab eodem accipiamus. Tertio die, inquit, in Apollinis aede Palatina ter

nouem illustres pueri cum totidem puerilis, omnes utrinque florentes, hoc est, qui ambos parentes superstites habent, Hymnos et Paeanas Graeca et Romana lingua canunt, quibus subiectae Romanis urbes seruantur. Idem Sibylla sequentibus ueribus praecipit.

— — αἰδόμενοι τε Λατῖνοι
 Παιᾶνας, νέροις νέραισι τε νηὸν ἔχοιεν
 Αἴσαντων χωρὶς δειπόεσαι χορὸν αὐται ἔχοιεν
 Καὶ χωρὶς παιῶν αἴσην γάχυς αἷλα γονήων
 Πάντεν γώντων οἰς αὖθισταλῆς ἔτι Φύτλη.

Carmen latinum, quod ab Horatio Augusti insu compositum est, adhuc extat, de Graeco uero nihil inuenire apud alium autorem potui.

Videtur autem, praeter hos quos dixi ludos, posterioribus diebus factos, plures etiam in Campo Martio redditos fuisse. Zosimus enim ludos hic tribus diebus totidemque noctibus fieri consueuisse scribit. Sed de his nihil aliunde constat.

XIII

Haec habui, quae de alterius generis Iudis secularibus in medium afferrem, restat ut de tertio quoque genere quae in promtu sunt exponam. Vbi tria item quaerenda erant, primum quibus numeribus illi fuerint dedicati, tum quae sacra iis facta, denique qui qualesue ludi ipsi fuerint. Ad primum et

er secundum quid ex fide veterum scriptorum referam non habeo, quae tamen ipse de his opinatus fueram, supra exposui. Quod tero ad tertium atinet, refert nobis de his aliqua Suetonius. Ita uero ille de Claudio Imperatore, spectacula ait, complura magnificaque edidit, non usitata modo, ac solitis locis, sed et commentaticia, et ex antiquitate repetita, et ubi praeterea nemo ante eum. Fecit et seculares, anticipatos ab Augusto. quibus histri onum quidam producti olim iterum producebantur. Circenses frequenter etiam in Vaticano commisit, nonnunquam interiecta per quinos missus nienatione. De his certe testatur et Plinius l. VII, c. XLII, Claudi Caesaris secularium ludorum Circen sis excusso in carceribus auriga, albatos equos pal mam occupasse, praemiumque obtinuisse. Ex Tacito etiam colligas, iisdem ludicrum Troiae fuisse reperitum, Annal. l. XI, quod iam sub Augusto institutum memorat Suetonius. Celebris in primis Agon millenarius, de quo Eusebius, et Cassiodorus in Chron. referunt, quod ob hanc solennitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in Circo magno interficerit, ludosque in Campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo per uigilante celebrarit. quadraginta etiam missus natali urbis Romanae concurrisse, et agonem millenari um actum. de quo etiam conferri potest Iulius Capitolinus, in Gord. c. XXXIII, et Metellus Tegerensis Monachus, Odis Quirin. a Canisio T. I. Antiq. lect. editis. qui tamen, cum circa annum demum a C. N. c. LX vixerit, testis mihi uidetur parum idone-

us. A Philippo uero Imp. quia Christianis accensetur, omissi uidentur cultus et sacrificia deorum. Visum idem est Orosio, qui lib. VII, nec dubium est, ait, quin Philippus huius tantae deuotionis gratiam et honorem ad Christum et Ecclesiam reportarit, quando uel ascensum fuisse in Capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus autor ostendit. Innuere uidentur hi autores, ea quoque, quae in Augusti ludis usitata fuisse ostendi, hic fieri coniueisse, cuiusmodi sunt ludi in Campo Martio nocturni, pompa in Capitolium ducta, et alia, ex quibus libenter etiam de reliquis idem statuerem, si modo plura ex vetustate mihi succurrerent argumenta. quibus destitutus item quae hic moueri poterit suspensam relinquo. Ios. Scaliger certe existimat in centenariis natalibus urbis eosdem ludos, eadem sacra, eadem trinoctia, quae in secularibus, esse facta, Animadu. in Euseb. p. 235. Non possum tamen silentio praeterire quod G. G. Leibnitius in diss. de numis Grat. opinet, Antoninum Pium ludos edidisse non illo ritu, qui secularibus fuerit debitus. itaque magis opinione hominum, et externa pompa, quam interiore ceremonia, seculares uideri. Additque, has seculares celebritates aliqua ratione ultra annum productas credibile esse. Itemque de Philippi ludis secularibus opinatur, eos magnam anni partem occupasse, ludosque factos esse decem, ipsis numis distinguenteribus, pro numero forte seculum peractorum.

XIV

Perspecta secularium ladorum differentiali, re-
suum est, ut in trium istorum generum tempo-
ra accuratius inquiram, eaque ex mea *Urologia*
aliter etiam ordinem. Quod si quis P. Taffini dif-
fusam quidem, sed non eo minus intricatam, Chrono-
logiam conferre uoluerit, intelliget me, si non
aliud assecurus fuerim, id saltem conatum esse, ut
difficultates, quibus ista laborat, pro virili parte tol-
lerem. Mea autem Chronologia ita se habet.

I. Anno V.C. Varron. CCXLV, qui est secundum Fa-
stos Capitol. CCXLIV, Periodi Iul. 4205, insti-
tuti primum, seu publici facti sunt, Iudi Ditis
patris et Proserpinae ad Terentum. ita enim
praeter Valerium Max. et alios, quos supra citaui,
Valerius Antias, apud Censorinum c. XVII, ait, hos
Iudos seculares exactis regibus post Romanam condi-
tam annis CCXLVa Valerio Poplicola institutos esse.
Excitant aliqui Plutarchum, qui in uita Poplicolae
eos ad IV eius consulatum referre uideatur, qui
incidit in a. V. C. CCL. Proximo, ait, anno Poplico-
la IV Consul factus est. Quia Sabini et Latini con-
spirauerant, erat belli suspicio. Religionem insu-
per ciuitati attulerat, quod omnes mulieres, quae
ea hora praegnantes erant, partus imperfectos eii-
cerent, neque esset suo tempore ullus editus. ita-
que Poplicola ex libris Sibyllinis placatis diis inferis,
Iudisque ex oraculo Apollinis instauratis, iam ad
homi-

hominum se conuertit minas. Sed quid obstat, quo minus hunc locum de ludis Tauriis, ratione occasio-
nis, et instituti, cum his consentientibus, accipi-
amus. de quibus conf. n. X.

I. A. V. C. Varr. CCXCVIII, sec. Fast. C. CCXCVII, M.
Valerio et Sp. Verginio Coss. secundum opinionem
meam instituti sunt ex Oraculo Sibyllino ludi pri-
mi in honorem Apollinis, aliorumque deorum,
postea ab Augusto Imperatore redditii. De tem-
pore consentiunt XV - virum Commentarii apud
Censorinum, et ultimos retro ab Augusto ludos se-
culares, seu primos ab origine numeratos, huic anno
et Coss. assignant. Hi sunt, qui centesimo decimo quo-
que anno redibant. Ad eundem annum refert hos
ludos etiam Ios. Scaliger, sed saltem ut opinioni suae
inseruiat, qua seculum cum Periodo Romana con-
fundit, et primum lustruin a. p. V. C. CLXXXVIII
conditum statuit. Referunt eodem et Fasti Capit-
tolini, ex quibus etiam Duumuiros sacrorum fac.
M. Geganium, et C. Nautium agnoscimus. Cum
quibus consentiunt Onuphrius Panuinius de Indis
sec. et Steph. Vin. Pighius, Annal. T. I. p. 131, et
76. Quod uero hi duumiri, cum Censorino et
aliis, hos ludos cum iis, quos a Poplicola primum
editos esse dixi, confundunt, sine causa fecisse, auto-
ritate saltem quorundam adductos, puto. Ci-
tat Pighius et Eusebium, qui ad Ol. LXXXI, 4, haec
notat, Romae clarior agon centenarius primus a-
etas. ubi pro *ηλαγίων*, quod in Graecis Eusebii
legitur, substituendum putat *Συνηλαγίων* Ios. Sca-
liger

Jiger, in Animaduersi ad l. c. p. 103. annis saltem aliquot a nostro calculo differt Eusebii computatio. in Olymp. enim istius annum quartum incidit annus V. C. CCCI, et CCCII. Sed obstat uidetur, quominus hos ludos ex praescripto Sibyllae Apollini, aliisque diis, institutos existimemus, quod numerus XII eosdem cum ludis Apollinaribus contulerim, de quibus apud Liuium, et Macrobiu[m] l. I. c. XVII, legimus, quod uoti factique sint bello Punico, ex uaticinio uatis Martii et carmine Sibyllino, suadente Cornelio Rufino X[u]iro, qui propterea Sibylla nominatus est. id quod accidit secundum Verrium Flaccum, et S. Vin. Pighium, Fulvio Flacco et Appio Claudio Coss. anno p. V. C. I[anu]ary XLII, bello Punico II durante. ex quo sequatur, ludos Apollinares secularibus longe esse iuniores. Existimo igitur his ita responderi posse, alias esse ludos Apollinis seculares, alias annuos, seu qui quotannis fieri debebant, quos anno demum p. V. C. I[anu]ary XLII institutos concedo. hanc enim in sententiam Liuius refert carmen uatis Martii, censentis Apollini uouendos esse ludos, qui ei quotannis comiter fiant. non enim ex Liui et Macrobi locis colligi potest, quod ante haec tempora Romanis ignoti fuerint, qui longo ante tempore Apollinis, reliquorumque numinum, quae Sibyllae carmen commemorat, religionem receperant. Liuius ipse a. p. V. C. CCCLV, cum grauis pestilentia urgeret, inspectis libris Sibyllinis, Duuumiros scribit, lectisternio tum primum in urbe facto, per dies octo Apollinem, Latonam, et Diana[m], aliosque placauisse.

G

II. A.

II. A. V. C. Var. CCCV, Cap. CCCIV, postquam Decemviri Cons. pot. abdicassent, Idibus Decembr. Coss. facti L. Valerius Potitus et M. Horatius Barbatus, sub quibus secunda uice institutos puto ludos Ditis patris et Proserpinæ, ea lege, uti in posterum post centesimum annum referrentur, siue haec religio ex Sibyllino aliquo oraculo, siue aliunde accepta fuerit. Confirmat annum Valerius Antias, ludosque secundos uocat, apud Censorinum. hic uero eos cum ludis a. V. C. CCCC VIII secundum XV uirum testimonium editis confundit. Pighius apud Censorinum pro CCCV legendum censet CCCXLVIII, et hos item cum alteris, quos dixi, coniungit. sed emendatio sine causa facta. in sequentes enim hos a. p. V. C. I^oV, et I^ocV, ludi, qui illis respondent, lectionem ueterem retinendam esse suadent. Quam etiam comprobatur P. Tassinus sed non satis firmo arguento. ut enim Scaligerum imitetur, dicit annum V. C. CCCV esse centesimum a primo lustro sub Seruio Tullio condito. ut uero omnia sibi consentiant, lustrum primum anno CCV adscribit, secus ac Scaligerum fecisse dictum est. legista possunt lib. II, c. IV, de ludis sec. quae, cum certa ratione destituantur, hic merito omittimus. Videtur mihi quoque huc referendus esse locus Zosimi, sed emendationis indigens. Scriptor hic postquam de ludis Valerii Poplicolae egit, statim subiicit, Secundum haec morbis et bellis exortis, anno ab V. C. I^oII, Senatus iis se mis

lis liberare de Sibyllinis oraculis cupiens, eos, ad quos haec cura pertinebat, oracula consulere iussit. illis mali finem fore nuntiantibus, si Diti patri et Proserpinae rem sacram fecissent, perquisito loco, Diti et Proserpine, ceu iussi fuerant, uota nuncuparunt M. Potito IV Cos. et peracto sacro, malis urgentibus liberati, rursus aram terra obruerunt. Annus quem retuli I^o II in uetustioribus Zosimi libris extare dicitur, pro quo alii CCCLII, alii alium suae opinioni congruentem substituunt. mihi probabilis maxime uidetur annus CCCV, quo iam supra n. III, inspectos primum de his ludis libros Sibyllinos opinatus sum. huic uero opinioni quam maxime consentit locus Zosimi. deinde Consul hic nominatur Potitus, qui ad eundem annum pertinet. nam Potitus, quem alii hic intelligunt, Tribunus fuit mil. Cons. pot. a. V. C. CCCLIII, eoque nusquam ludos editos fuisse legimus. quamquam aliqui pro Potito Popilium, aut Popilium, qui anno V. C. CCCCVI quartum Cos. fuit, legant. sed hoc anno primum consultos de his ludis libros Sibyllinos haud probabile est. Itaque pro his uerbis, Μάριος Ποπίτη τὸ τέταρτον ὑπατεύοντος, scribo, Ποπίτη καὶ Μάριος Ορατίς ὑπατευόντων. ex quibus annus cognoscitur CCCV. Arbitrabor aliquando hunc locum ad an. V. C. I^o V referri posse, ideoque annum I^o II, Liuii calculo congruentem, retinebam, sed sequentia ita emendabam, ἀναζητήσαντες τὸν τόπον, ὃν Αὖθις καὶ Περσεφόνη πατέ τὸ προσταχθὲν πατήγνυσαν Πο-

πλίσ Βαλεσίς Ποπλιόλη ύπαιθροντος. At prior ista mihi deinceps emendatio commodior uisa est. Non possum silentio praeterire, quod primi quatuor ludi seculares partim a Valesio autore, partim a Valeriis Coss. quatuor eiusdem familiae uiris editi leguntur, Antonium Augustinum et Richardum Streinium, qui de familiis Romanorum scripserunt, existimare, sacrum hoc Ditis et Proserpinae familiae Valeriorum proprium fuisse. sed quantumuis de familiarum sacris constet, tamen sine testibus illa fingere ninius temerarium puto.

III. A. V. C. Var. CCCCV, Furio Camillo et Appio Claudio Coss. Iudi seculares primi generis tertii spectati. Sed horum nusquam mentionem factam memini, ideo forte, quod propter uicinitatem sequentium aut una exhibiti, aut a scriptoribus in unum confusi fuerint. Videtur mihi tamen sequens Festi ab Vrsino suppleti locus huc referri posse, in quo Popilius Laenas Duumuir sacr. fac. his ludis fuisse dicitur. qui quando uixerit certo non constat, plures enim hoc nomine fuerunt. quoniam tamen circa haec tempora in Fastis Popilium quendam Laenatem Consulem fuisse legimus, ut a. V. C. CCCXCVIII secundo, a. CCCCIV tertio, et quarto a. CCCCVI, probabile uideri dico, eundem anno inter hos postremos Consulatus annos interiecto Duumuirum esse factum, nisi probabilius, apud Festum, pro Duumuiro, quod Vrsinus suppleuit, IV Consul, legendum esse. Locum autem istum ita lego et inter-

pre-

pretor. Seculares ludi Tarquinii Superbi regis in agro sunt primum facti, quem Marti consecravit, (loquitur hic de Campo ad Tiberim, quem Tarquinius Sup. usurpauerat, et suis segetibus oppleuerat, cum tamen Marti iam ante Seruii Tullii aetatem consecratus fuisset, quem regibus exactis restituerunt consules, uti legimus apud Dionys. Hal. I. V, c. XIII, et I. IV, c. XXII, et Plutarchum in uita Poplicolae. quare potius legendum, quem Marti consecrarunt.) P. Valerio Poplicola Consule, (scil. primum facti,) quod populus Romanus in loco illo antea repartam aram quoque Diti et Proserpinae consecrauerat, in extremo Martio campo, quod Terentum appellatur, demissam infra terram pedes fere XX, in qua pro malis auertendis pop. Romanus facere sacra solitus erat. Ludos postea (scilicet anno CCCV) seculares, et centesimo quoque anno (scil. CCCCCV) facere ibi coepit (subaudi, populus Ro.) Popilio Laenate Duumuiro facrorum, in quibus hostiis furuis est operatus tribus diebus, totidemque noctibus. ac deinde institutum, centum post annos ut fierent. unde uidentur seculares appellati, quod centum annorum spaciun seculi habetur. Onuphrius Panuinius refert huc locum Zosimi supra ad an. V. C. CCCV a me allatum, ubi pro M. Potito legit M. Popilium, qui a. V. C. CCCCCVI Consul fuit. Manifestum uero commisit errorem, cum hoc spectare Augustini locum affirmat, quem ego, ad an. V. C. I. V referendum esse, paulo post demonstrabo.

G 3

II. A.

II. A. V. C. Var. **CCCC VIII**, Cap. **CCCC VII**, M.
Valerio Coruino et C. Poetilio Coss. iterum ex SCto
facti sunt ludi alterius generis seculares, M. Fa-
bio et C. Iulio Duumuiris, uti ex Fastis Cap. nos
docuit Pighius. Quibuscum consentiunt XV-ui-
rum Commentarii, secundos ludos ad eundem an-
num et Coss. referentes, teste Censorino c. l. qui
tamen eos cum praecedentibus confundit. Sunt au-
tem hi ante Augusti ludos tertii.

IV. A. V. C. Var. **I** V sec. Fast. Cap. **I** IV, sec. Liui-
um **I** III, sec. Polybium **I** II, P. Claudio Pulchro
et L. Iunio Pullo Coss. facti sunt quarti primi ge-
neris ludi seculares. Testes habemus Antia-
tem, et Liuium, apud Censorinum, qui tamen tertios
ludos uocat. Liuii locus ex lib. **XLIX** periit. eu-
ius Epitomator, ut a Sigonio et Gronouio emenda-
tus est, ita habet, Diti patri ludi ad Terentum ex
praecepto librorum Sibyllinorum facti, (scil. an. V.
C. **I** CII) qui ante annum centesimum primo Pu-
nico bello, **I** II anno ab V. C. facti fuerant. Iam ue-
ro constat Liuium in computandis ab V. C. annis a
Varrone duobus, Polybium autem, quem in Pun-
cis rebus saepe sequitur Liuius, tribus distare annis.
itaque ad annum **I** II et **I** CII adiectis duobus an-
nis, habes **I** IV, et **I** CIV, tribus uero, **I** V et **I** CV,
hos ipsos quos quaerebamus annos. ut adeo Taffini
emendatione, quam l. II, c. V, propositi, non opus
habea.

habearius. Romani autem hoc anno maxima cla-
de affecti sunt, uicta duce Claudio Cons. qui auspi-
cia contemperat, ad Drepanum a Poenis classe una, al-
tera uero ab hostibus ad litora compulsa, et naufragio
perdita. Compellabat sine dubio hoc malum Ro-
manos ad antiqui sacri memoriam. Quorsum pertinet
locus Augustini de Ciuit. dei l. III, c. XVIII, quo scri-
bit, Punicis bellis magno metu perturbatam Ro-
man. ciuitatem ad remedia cucurisse. Instauratos
esse ex autoritate librorum Sibyllinorum Indos secu-
lares, quorum celebritas inter centum annos fuerit
instituta, felicioribusque temporibus memoria ne-
gligente perierit. renouasse etiam Pontifices ludos
sacros inferis, et ipsos abolitos annis retrorsum me-
lioribus. adiicit deinde, nihil his rebus eos esse con-
secutos. nihil enim miserabilius primo bello Puni-
co accidisse, quam quod ita Romani uicti sint, ut
etiam Regulus caperetur. Id uero factum legimus
a. V. C. CCCC XC VIII, bellum uero ipsum ortum
a. CCCC XC. uidetur igitur hoc uelle Augustinus,
quod intra hos annos ludi isti restituti fuerint. Sed
primo is non maiorem in historia fidem meretur ac
Linus. deinde ipse sibi haud constare uidetur, dum
ante Regulum captum bellum infelicitate gestum esse
affirmat, quod tamen aliter se habere aliunde no-
uimus. Quamuis igitur in anno definiendo errau-
erit, testimonium tamen institutis his temporibus lu-
dis secularibus praebet. Quod uero scribit eos o-
missos antea esse, cum ad annos ab V. C. CCCC V
et CCCC VIII pertinere putem, libenter credide-
rim his temporibus esse neglectos, nisi conjectura
et

et autoritas, quam supra adduxi, quamuis non satis firmae, obstant.

III. A. V. C. Var. I^o XVIII, Cap. I^o XVII, P. Cornelio Lentulo et C. Licinio Varo Coss. tertii facti sunt alterius generis ludi seculares. Affirmat hoc marmor Capitolinum, de quo consulendus Onuphrius Panuinius, et Pighius, Annal. T. II. p. 91, et XV - uirum Commentarii apud Censorinum, ubi etiam tertii appellantur. Praeterea horum mentionem facere uidetur etiam Augustinus, loco supra a me allegato. nam quod de centum annis quibus redditu fuerint scribit, in eo una cum aliis errare potuit, qui spacium illud temporis opinione sua metuntur. Annis XXIV post instituti sunt ludi Apollinares annui, qui antea, mea quidem sententia, tantum seculares fuerunt. de quibus supra satis dictum est, n. XII.

VA. V. C. Var. I^o CV, Cap. I^o CIV, sec. Litiuum I^o CIII, sec. Polybium I^o CII, L. Marcio Censorino et M. Manilio Coss. quinti primi generis ludi seculares facti sunt. quartos uocat Censorinus, et nostram in sententiam Antiatem, Varronem, et Liuum citat, cuius Epitomator etiam, quem supra allegauit, scribit, ludos Diti patri ad Terentum anno I^o CII factos. Idem Censorinus notat, Pisonem Censorium, et Cn. Gellium, sed et Cassium Herninam, qui illo tempore uixerit, post annum factos tertium affirmasse, Cn. Cornelio Lentulo et L. Mumio

mio Coss. qui annus est I^o CVIII. sed suspicamur istos scriptores aut aliam temporum rationem seculos, aut alio modo lapsos esse.

IV. A. V. C. Varr. I^o CXXVIII, Cap. I^o CXXVII,
M. Aemilio Lepido, et L. Aurelio Oreste Coss.
quarti editi fuere alterius generis ludi seculares,
testibus XV-uirum Commentariis apud Cen-
forinum, et Fastis Capitolinis apud Pighium, T.
III, p. 33.

Ingenuetamen fateor ludorum secularium, quae
XV-uirum Commentarii et Fasti Capitolini singulis
et X annis, uti ostendi, affixerunt, ante Augusti
tempora nullam plane apud historicos mentionem
fieri. Fastos uero Augusti demum aetate confe-
ctos, qua etiam calculum istum XV-uirum pri-
mum subductum probabile est, non satis certo lu-
dis antiquis secularibus argumento esse uideri. In-
terim tamen fidem habendam esse putaui his quos
attuli testimoniis, donec ex aliis maioris fidei anti-
quitatis reliquiis aliud poterit demonstrari.

VI.

A. V. C. Var. I^o CCV, ludi primi generis
seculares sexti peragi debebant, sed praeter mo-
rem omitti sunt, eam haud dubie ob causam, quod
initia funestissimi inter Caesarem et Pompeium belli,
quae in haec tempora inciderunt, prohibuerint,
quo minus, dum de salute cogitandum erat, anti-
quorum institutorum, decorique ratio haberetur.
Ac primo ut hoc credamus, adducit nos omissa a

H

scripto-

scriptoribus eorum mentio , deinde quod Caesar Augustus dicitur a Suetonio nonnulla ex antiquis ceremoniis abolita restituisse , in quibus etiam ludos seculares recenseret , et Zosimus scribit , sacrificio illo ad tempus neglecto Octavianum Augustum id renouasse .

V. A. V. C. Var. I^o CC XXXVII , Capit. I^o CC XXXVI , C. Furnio et C. Iunio Silano Coss. quinti alterius generis ludi seculares iustaurati sunt a Caesare Octaviano Augusto et Agrippa , sicut scribit Censorinus c. l. quintos etiam uocat Dio Cassius lib. LIV. in Fastis Capitolinis haec leguntur.

LVDI SAECVLARES QVINCT
IMP. CAESARE DIVI F. AVGVSTO
C. SENTIO C. F. C. N. SATVRNINO
MAG. XV VIR
M. CLAVDIO M. F. M. N. MARCELLO
M. FVFIO M. F. STRIGONE
D. LAELIO D. F. D. N. BALEO

Sicut testantur Onuphrius , et Pighius Annal. T. III , p. 519. Anticipabit autem quasi , ut loquitur Suetonius , uno anno . cum enim ludi ex XV - uirum computo a. V. C. Var. I^o CCXXXVIII redire debuissent , iste anno ante edidit . Quaerit hic Dodwellus , Diff. X , S. XXXII , anne existimandum sit positus inter Consules anni I^o CXXVIII et I^o CCXXXVII , unum

unum par Consulum in Fastis omissum, adeoque annum deficere, qui ad implendos centum et decem annos requiratur. et postquam id negavit, putat Augustum CX annos dedita opera noua ratione ita numerasse, ut terminum numeri utrumque includeret. De ludis uero istis secularibus testatur etiam Suetonius, in Octauiano, et ex eius fide Claudius Imperator in historiis scripsit Augustum intermissos ludos seculares multo post diligentissime annorum ratione subducta in ordinem redegitte. Fallitur dubio procul Zosimus, cum eosdem ludos L. Censorino et M. Manlio Coss. factos scribit, aut emendandus est, quemadmodum a Leunclauio, sed minus recte factum, qui substituit L. Censorinum et C. Sabinum, qui plane his temporibus non competitunt. ut adeo errauerit Lindenbrogius, quod in notis ad Censorinum, p. 103, putarit hanc ueram esse et indubitatem Zosimi lectionem. Cum his ludis coniunctos deinceps existimo ludos primi generis seculares, uti iam supra dictum est, num. VI.

I. A. ab V. C. Varr. Iccc, Tib. Claudio Druso Caesare IV, et L. Vitellio III Coss. spectati sunt ludi seculares tertii generis primi, ab Imperatore Claudio editi, teste Censorino, et Plinio I. VII, c. XLVIII, et Dione Cassio I. LX, et Tacito Annal. I. XI, quod etiam Fastis Capit. conuenit, de quibus consilendus Pighius, T. III. Annal. p. 577. Censorinus eos uocat sextos, ratione scil. habita Augusti ludorum, quos una serie cum his computat, et confundit. **H 2 VI.**

VI. A. V. C. Var. ICCCCXLVII, fl. Domitianus Imperator XVII, et T. Flavius Clemens Coss. fure, eoque ludi alterius generis seculares sexti edi debuerunt. quod ut crederemus nobis persuadere poterat Zosimus, qui a ludis ab Seuero anno V. C. ICCCCCLVII editis centum et decein annos retro numerat, scribitque, Domitianum a Claudio discessisse, et numerato ambitu annorum ex quo ludos Augustus fecerit, traditam ab initio legem seruare uitum esse. ambitus uero legitimus, et Augusti editio conueniens, erat annorum CX. Sed obstant his imprimis numi, qui Consulatu Domitiani XIII seculares ludos factos testantur. quibuscum faciunt Fasti Capitolini, de quib. vid. Dodwelli Annales Statianos. n. XXXVI, et Censorinus, qui consulem Minucium Rufum una cum Domitiano XIV Cons. nominat. Incidunt autem hi consules, adeoque ludi ipsi, in annum ab V. C. ICCCCXLII. Praetura Taciti et XV. viratus, quo hi ludi norantur, quia incerti sunt, subsidio nobis esse nequeunt. Septimios vocat Censorinus ob eam quam dixi rationem.

II.

A. V. C. Var. ICCCC, Vlp. Antonino Pio IV et M. Aurelio II Coss tacti probabiliter ludi seculares tertii generis secundi. de quibus nihil certi afferre possum, praeter locum Aurelii Victoris a Schottro editi, ubi de Antonino Pio hunc in modum scribit, Denique annis quibus publica egit XX idem mansit, celebrato magnifice urbis nongentesimo, quo loco magnifici uocabulum procul dubio de pompa ludorum et spectaculis accipiendum est:

G. G.

G. G. Leibnitius existimat hos Antonini ludos non esse proprie dicos seculares, quod hoc nomine huiusquam eorum fiat mentio, ac praeterea neque ritu ludorum cum veteribus ludis secularibus conuenient, a populo tamen ita esse appellatos, ideoque hic spectare putat inscriptionem apud Herwartum, in qua seculares octaua dicantur. Eodem anno et Consulatu Antonini celebrati sunt eius Decennales primi, ut ex numis discimus, ac fortasse cum iisdem simul seculares sunt exhibiti. Taffinus existimat, seculares ludos per decennales in numis intelligi, eosque ideo ita esse appellatos, quod decimo imperii eius anno editi fuerint. In quo fallitur. Decennalium enim ludorum institutio longe antiquior Antonino, et alias nihil cum ludis secularibus commune habet. Erant enim Decennales, qui ab Imperatoribus singulis decem annis a primis imperii auspiciis exactis celebrabantur. Instituit, ut apud Dionem Cassium, lib. LX, legimus, Augustus, ut per decennia tempus imperii intercideretur, et singulis exactis id denuo senatus decreto ei deferretur. et de Claudio idem autor scribit, decem annis imperii eius exactis, ad resumendum id nihil decreto opus habuit. neque enim in decennia intercisi, quod Augustus fecerat, id gerere statuit. ludi tamen decennales facti. Similes celebrazze legimus Gallienum ab V. C. c^{lo}XVI, de quibus Trebellius Pollio c. VII, et seq. imperfectis, ait, militibus ad Byzantium, Gallienus, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit, conuocatisque patribus Decennia celebravit, nouo genere lu-

H 3

do-

dorum, noua specie pomparum, exquisito gene-
re uoluptatum. Taffinus credidit hos fuisse ludos
seculares Xlos, deceptus numo, in cuius uno latere
conspicitur Gallienus, in altero ceruus, cum hac in-
scriptione, SECVLARES AVGUSTI. Mi-
hi quidem nullum est dubium, quin hic Decennale
ludi intelligantur, in adulationem principis ideo
seculares uocati, quod non dissimiles essent ludis
uere secularibus, ante XVI annos a Philippo Impera-
tore editis, quibus magnifico apparatu institutis
cum ille sibi ingentem gloriam comparasset, Gal-
lienus in eius aemulationem ludos decennales nouo
genere ludorum, exquisito genere uoluptatum, in-
struxit, adeo ut, quoniam ludis secularibus Philippi
nulla ex parte cederent, ipsi Gallieni seculares ap-
pellarentur. Nullam enim inuenire possum ratio-
nem, quare Gallienus ludos uere seculares, qui pau-
lo ante peracti erant, denuo institueret. et incer-
ta coniectura est Taffini, Philippi tanquam Christi-
ani Imperatoris ludos pro nullis, siue irritos esse ha-
bitos, opinantis, cur enim non a proxime potius eum
insequente Imperatore Decio, acerbissimo Christi-
ani nominis hoste, essent instaurati.

VII. A. V. C. Varr. ICCCC LVII, L. Fabio Chi-
lone II et M. Annio Libone Coss. editi sunt a L. Se-
ptimio Seuero Imp. una cum filiis M. Aurelio Anto-
nino et Geta, septimi alterius generis ludi se-
culares, uti testatur Zosimus, et Censorinus l. c.
et Herodianus lib. III de eius historia, ad quos ac-
cedunt numi istorum principum, qui idem satis su-
perque

perque comprobant, qui apud collectores istorum monumentorum conspici possunt. Octauos ludos uocat Censorinus. Eodem refert Ios. Scaliger uerus Oppiani ex l. II ἀλιευτ. uti existimat, ad Seuerum et filium Antoninum Caracallam pertinentes, quibus deos precatur; uti eos sibi seruent

Πολλαῖς ἐνδεκάδεσσιν ἐλισσομένων ἐνιαυτῶν, quemadmodum hic uerius ab eo emendatur. putat enim ipsis ludis secularibus Caesaribus hoco-
pus a Poëta oblatum, animadu. in Euseb. p. 222. Es-
setque adeo haec acclamatio similis illi, qua Vitel-
lius Claudium secularares edentem ludos allocutus est,
Saepe facias, quorsum conf. Barn. Brissonius de
form. solen. l. VIII, p. 721. qualem etiam Dodwel-
lus Annal. Stat. l. c. putat esse illam apud Martialem
Epig. I, l. IV, ad Domitianum.

Hic colat ingenti redeuntia secula lustro,
Et quae Romuleus sacra Terentus habet.

III. • A. V. C. cI, M. Iul. Philippo Imp. III, et M.
Iul. Philippo Caesare II coss. editi sunt ludi secu-
lares tertii generis tertii. De millesimo enim
urbis anno siue natali ab iisdem celebrato testes
sunt Eusebius, et Cassiodorus in Chron. Eutropius
l. IX, Iulius Capitolinus, alii. fidem his faciunt
numi secularium ludorum memoriam conseruan-
tes plurimi. Sed plerique referunt consulatum
Philippi III, qui in sequentem annum incidit, aliqui
II, cuiusmodi apud Onuphr. Panu. mentio facta. Ex-
istimo

istimo itaque, haec ita inter se se conciliari posse, si statuamus, quod annus ab V. C. millesimus Varronianus a mense Aprili Iuliani millesimi incipiat, et in eodem mense sequentis terminetur. Consules uestro mense Ianuario inierint, tum quod non unius generis sed plures ludi, quod numi indicare uidentur, fuerint, quibus, ut Leibnitio uidetur loco supra allegato, magna pars anni consumta fuerit. Ita enim fieri potuit, ut ludi seculares partim in alterum partim in tertium Philippi consulatum inciderint. De Philippo dubitant aliqui, quod Christianus fuerit. Pagus eum demum post ludos seculares Christi sacris nomen dedisse arbitratur. Sed contrarium afferit, copioseque de hoc arguento disputat Io. Ciampinus in disquis. de duobus Emblem. Card. Carpinei, Romae 1691 anno edita.

VIII. A. V. C. c^{lo} LXVII, Fl. Constantino M. Imp. et C. Aurelio Licinio III Coss. celebrari oportuit ludos seculares alterius generis octauos, quos tamen omisso esse testatur Zosimus. Constantino ait, et Licinio III Coss. C et X annorum spacium completum fuit, quo iam ludos consueto more celebratos oportuit. addit deinde, eo neglecto ad infelicitatem illam res prolabi necesse fuit, quae hoc tempore nos urget. quo respicit ad oraculum Sibyllae, quod plurima Romanis pollicebatur, si religioni ueteri infisterent.

IV. A. V. C. c^{lo}C, Fl. Philippo et Sallea Coss. sub Imperatore Constante quarti ludi tertii generis

neris seculares omisi sunt. qua de re Aurelius Victor Schotti , et quoniam , inquit , nomen admodum , nostra quoque aetate post mille centesimus Consule Philippo excessit , nullis , uti solet , solennibus frequentatus . adeo indies cura minima Romanae urbis .

IX. A. V. C. c^{lo} CLXXVII referri debebant ludi alterius generis seculares noni . sed quoniam octaui omisi fuerant , Honorius Imperator eos anticipauit , ita ut anno V. C. c^{lo} CLVII ederentur . siue , quod uerosimilius est , seculo , quo reddi debebant , non ex ueteri instituto CX , sed C tantum annos tribuebat . secundum quem computum annus c^{lo} CLVII plane ultimus erat seculi a factis sub Seuero Imp. ludis secundi . Abstinebant , ut credo , ab his et similibus ludis Christiani Imperatores , propterea quod ex Sibyllae consilio et instituto fierent . Id uero maxima Romanorum pars , antiquae religioni adhuc dedita , aegre serebat . Cum igitur sub Honorio Imperatore Alarici Gothorum regis in Italiam irruptio perniciem illis minaretur , culpam , ut sit , in neglectum conferebant ueterum institutorum ac religionis . quorum superstitioni denique , ut animos illis ad subeunda belli discrimina paratiores adderet , cedere coactum puto Honorium , adductum que , ut quo dixi anno , se VI , et Aristaeneto Coss . ludos seculares instauraret . Facit huc Claudianus , qui in VI Consulatum Honorii , Romam italoquentem introducit .

I

Iam

Iam flauescens centum
 Messibus aestiuae detondent Gargara falces,
 Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos
 Circumflexa rapit centenus secula consul,
 His annis qui lustra mihi bis dena recenserent.

Atque haec sunt, quae de Romanorum ludis
 secularibus post alios in medium afferre uisum est.
 quibus susceptam hanc pro inquirenda antiquitate
 qualemcumque operam concludo. Deum uero pre-
 cor, ut aurea nobis hinc inire iubeat secula. pro
 quibus non ludos illi uouemus, non ducimus
 uictimas, sed calentes piae mentis thure
 aras statuimus.

Errata, quae describendo commissa sunt, ita emendari de-
 bent. p. 4. l. 27. pott Βραυγώνιο add. comma. p. 6. l. 12.
 leg. ex quibus ib. l. ult. post uocab. edixit, add. Eosdem
 quoque secutus uidetur autor Fastorum Capitol. p.
 7. l. 25. dele uoc. sic. p. 8. l. 22. post potent, scrib. punctum.
 p. 21. l. 26. lege Terentinis. p. 22. l. 1. lege immolasse. p. 23. l.
 22. lege Consualia. ib. l. 24. leg. eruditorum uir. notae p. 31.
 l. 9. pro quae uenationibus, scribe, ac uen. l. 25. scr.
 Dindymene. p. 38. l. 4. scr. Iuuenalis. p. 40. l. 13. leg. eo-
 rumque. l. ult. leg. raptis. p. 55. l. 10. lege ludos.


OK 3460

X 2344787

nc

secular

3



26.

AVSPICIIS
 RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
 SERENISS. PRINCIPIS REGII
FRIDERICI AVGVSTI
^{DE}
LVDIS ROMA-
NORVM SECV-
LARIBVS
PRO LOCO
 AB AMPLISS. PHILOSOPHORVM ORDINE
 INVSITATA SIBI BENEVOLENTIA
 ASSIGNATO
 PRID. KAL. DECEMBR.
 A. R. G.
 1800 CC XVII
 LOCO CONSVETO DISPVTABIT
CHRISTOPH·FRID·AYRMANNVS
 L·A·MAG
 RESPONDENTE
 M· SAMVELE IONATHAN PAVPITO
 DAMA-SAX. S·S· THEOL· CVLT
 VVITTEBERGAE SAXONVM
 EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDERI, ACAD. TYPOGR.

BIBLIOTHEK DER KÖNIGLICKEN
MUSEEN BERLIN

ÜBUNGSS-TAMPEN
KÖNIGLICHE MUSEEN